DE AUCTORUM BELLI AFRICANI ET BELLI HISPANIENSIS LATINITATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALBRECHTUS KOEHLER.

ERLANGAE,
IN AEDIBUS A. DEICHERTI.
1877.

DE AUCTORUM BELLI AFRICANI ET BELLI HISPANIENSIS LATINITATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALBRECHTUS KOEHLER.

ERLANGAE,

IN AEDIBUS A. DEICHERTI.

1877.

Druck von Junge & Sohn in Erlangen.

De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate.

Scripsit

Albr. Koehler, stud. philol.

Praefatio.

De sermone, quo usus est incertus belli Africae auctor, quamquam praeter pauca ea, quae Nipperdeius in ‚quaestionibus Caesarianis' editioni suae Caesaris commentariorum praemissis hac de re disseruit, a Froehlichio (das bellum Africanum, sprachlich und historisch behandelt. Brugg 1872) copiose admodum est disputatum, tamen propterea quod et Nipperdeius de elocutione hanc tantum ob causam quaesivit, ut, quantum discriminis inter Hirtium et huius commentarii auctorem intercederet, demonstraret, et Froehlichius plurima ille quidem ut ab optimorum scriptorum usu recedentia notavit, sed ad unam omnia certam quandam rationem non revocavit, haud plane spero fore absonum novam hac de re instituere quaestionem. Quam quidem non seorsum in animo est hoc loco aggredi, sed cum ea, quae est de auctoris belli Hispaniensis latinitate, coniunctam: nam in hanc quoque, quamquam Nipperdeius in eadem praefatione paucis eam attigit, nemo tamen adhuc dedita opera inquisivit neque explanavit illam via ac ratione. Continetur autem haec de bello Hispaniensi disquisitio cum illa in ea re, quod utraque referenda est ad sermonem vulgarem: ceterum neque id quam vere dicatur neque vulgaris sermo quid sit et quatenus differat a lingua prisca in universum, hoc loco mihi erit exponendum, cum id apud eos, quorum iudicium in hac litterarum parte plurimum valet, fere constare videam; sed ‚quid ex commentariis belli Africae et belli Hispaniensis redundet ad cognitionem sermonis latini vulgaris' — quo vocabulo ‚vulgaris' omnes sermonis gradus inde

a familiari usque ad rusticum comprehendi velim —, id potius disserendum mihi proposui.

Qua in re pervestiganda eas maxime sequor rationes, quas nuper Woelfflinus, quem et auctorem habui huius operis gravissimum et adiutorem benevolentissimum, optimas verissimasque constituit in Philologi vol. XXXIV p. 137 sqq., non tamen iis neglectis, quae a Reblingio (Versuch einer Characteristik der römischen Umgangssprache. Progr. Kiel 1873) reperta sunt. Praeterea autem aliis quibusdam utendum erit auxiliis, quae ex horum commentariorum ratione ac natura parantur.

Ac primum quidem, cum auctores b. Afr. et b. Hisp. in eodem cum Caesare rerum gestarum describendarum genere versentur, magni momenti erit illorum sermone ubicumque poterit fieri cum huius scriptura comparato perquirere, num is consulto vocabulum aliquod aut locutionem aliquam vitasse aut commutasse videatur. Cuius rei ut unum exemplum proferam, ex eo quod Caesar verbum d e f a t i g a n d i ubique cum sexto casu (defatigare labore, cursu, itineribus, diuturnitate), auctor b. Afr. idem cum variis praepositionibus coniunxit (defatigare in labore, sub onere, ex nausea, propter velocitatem), bene cognoscitur, quantum iam hic in praepositionibus pro casibus simplicibus adhibendis ultra bonorum scriptorum consuetudinem progressus sit vel potius vulgari concesserit.

Praeterea auctorum b. Afr. et b. Hisp. ipsorum inter se comparatione multum efficietur: nam si aut plane consentiunt illi malae latinitatis scriptores in aliquo dicendi usu, quo optimi abstinuerunt (velut apud utrumque invenitur p y r a pro r o g o, quibuscum — praeter poëtas quos mitto — unus conspirat Vitruvius, t r a n s f u g i a, m i n u t a p r o e l i a, a n t e p r a e m i t t e r e, a d p r o p i n q u a r e a d, verbum p o t i e n d i et cum genetivo et cum accusativo et cum ablativo structum, d e p u g n a r e verbi simplicis significatione, et quae sunt similia) — aut cum, si minus in eodem vocabulo eademve locutione, at certe in eo, quod eiusdem generis est, illorum fit consensus (velut praebet exemplum obscurationis vocalium b. Afr. p l o s t r u m, b. Hisp. c l u d e r e; adverbiorum compositorum b. Afr. i n i b i, b. Hisp. c i r c u m c i r c a; verborum cum ‚ad‘ praepositione cumulate compositorum b. Afr. a d a u-

gere b. Hisp. apprehendere; deponentium activae formae b. Afr. assentire, b. Hisp. depopulare; adverbiorum loci abundanter positorum b. Afr. intro in cubiculum, b. Hisp. quo cum ad miliarium venisset; uterque verbum ‚ducendi' ad ‚abeundi' notionem exprimendam usurpavit b. Afr. se subducere, b. Hisp. se deducere etc.) — omnia id genus ad vulgaris sermonis indolem atque naturam revocare minime dubitabimus. Denique cum existimaverim fore ut is magno cum emolumento conferatur scriptor, qui et aetate illis proximus sit et omnium iudicio vulgari sermoni maxime inservivisse ducatur, *Vitruvii* sermoni nonnullis locis, ubi minorem ad probandum commentarii b. Afr. et b. Hisp. exemplorum copiam suppeditare videbantur, paulo plus operae dandum esse intellexi.

Iam si quis quaerat, quantum mihi illas rationes secuto in universum ad vulgaris sermonis notitiam conferri videatur, id duabus maxime in rebus conspici iudico. Primum enim cum permulta, quae argenteae quam vocant aetatis propria putantur, iam inter prosae scripta aut in b. Afr. aut in b. Hisp. primo inventa sint (velut ‚convulnerare, comminari, pelagus, accusativus graecus quem dicunt, magis comparativo additum, dativus vice ‚accusativi cum praepositione' positus etc.), id documento est mea quidem sententia eos, qui in Ciceronis dicendi genere non acquiescentes novum quoddam studebant constituere atque insolentissima quaeque captabant, ita non fuisse in verborum delectu fastidiosos, ut etiam ad plebis sermonem descendere non vererentur.

Alterum autem, quod effici puto, eo redit, ut nonnunquam usus alicuius, quem linguis romanicis quasi peculiarem assignant, initia ac vestigia in lingua latina iam aetate Ciceroniana deprehendantur idque in plebeiorum hominum sermone. Veluti ut romanicarum est consuetudo linguarum casuum rationes per praepositiones reddendi, ita etiam Romanos de plebe homines, etsi simplicibus casibus positis enuntiati ratio satis perspicua esset, praepositionibus additis magis delectari videmus.

Sed haec hactenus. Priusquam autem ad singula transeam, restat ut eos libros, quorum frequens per has quaestio-

nes erit mentio, breviter proponam siglis quibus usus sum appositis.

Nipperd. prol. = Nipperdei quaestiones Caesarianae editioni suae (Lips. 1847) praemissae.

Froehl. v. supra.

Rebl. v. supra.

Ludwig = Ludwig, de Petronii sermone plebeio. Marburg. 1869.

Guericke = v. Guericke, de linguae vulgaris reliquiis apud Petronium et in inscriptionibus parietinis Pompeianis. Gumbinnen 1875.

Stuenkel = Stuenkel, de Varroniana verborum formatione. Argentorati 1875.

Fleischer = Fleischer, observationes criticae de bello Hispaniensi. Progr. Meissen 1876.

Diez = Diez, Grammatik der romanischen Sprachen. edit. tert. voll. I. II. III.

Schuchardt = Schuchardt, Vocalismus des Vulgärlateins, voll. I. II. III.

Rönsch = Rönsch, Itala und Vulgata. edit. sec. Marburg 1875.

Neue = Neue, Formenlehre der lat. Sprache. edit. sec. voll. I. II.

Draeger = Draeger, historische Syntax der lat. Sprache. I 1. 2. 1874. II 1. 1876. II 2. 1877.

Lorenz = Plautus' Pseudolus ed. Lorenz. Berol. 1876.

Pars I.

De copia verborum.

A. De verborum formatione.

Quod quasi lege quadam in omnibus linguis fieri solet, ut cotidiani sermonis usu vocabula ita terantur, ut et forma vocalibus consonantibusve eiectis attenuetur et vis naturalis ac principalis mutata paulatim significatione infringatur: id in latina quoque accidisse omnium, opinor, consensu comprobatur. Ac Romanis ad compensandam illam iacturam eadem placuit ratio quae ceteris, ut vocabulis comminutis aut praefigerent syllabas aut suffigerent, id est ut vocabulorum quasi

corpus aut derivatione aut compositione corroborarent. Iam cum in urbano elegantique dicendi genere id multo rarius factum esse consentaneum sit, si apud scriptores b. Afr. et b. Hisp., ad quorum sermonem omnem hanc commentationem revocamus, certa quaedam vocabula aut derivata aut composita eandem significationem obtinere videbimus, quam apud bonos scriptores simplicia ac primitiva, id familiari consuetudini adscribere non dubitabimus.

Sed antequam ad hanc disputationis partem veniamus, ea in medium proferenda erunt, quae ad ipsas verborum radices pertineant et ab usu optimorum scriptorum recedant. Sunt autem singula in utroque libro: nam plostrum b. Afr. 9, 1. 21, 2. 75 coll. Nipperd. prol. 19 secundum rusticam pronuntiationem scriptum esse pro ‚plaustro' inter omnes convenit; cuius vocabuli et a Varrone et a Catone frequentati exempla collegit Stuenkel p. 6.; adde Horatianum unum ex sermonibus 1, 6, 42, (2, 3, 247 *plostellum*), Vitruvii duo 10, 8, 9. 10, 15. Ac Suetonius Vesp. 22 Vespasianum ‚plostra' pro ‚plaustra' loqui solitum esse narrat; *plostrarius* vero legitur apud Catonem de re r. 11, 1 et 2 et in inscriptionibus Pompeian. pariet. C. I. IV 485.

Eorundem erat rusticorum *au* diphthongum obscurare in *u*, cuius usus inter alia exempla profert Corssen Ausspr. I 661 cludere locis allatis ex Varrone de re r. 3, 3, Columella 12, 44, 2, Gellio 12, 14, 5. Sed idem apud auctorem b. Hisp. (1, 3 portas contra cludebant) legitur, in Priapeis 77, 18, apud Petronium 63, ap. Senecam rhetorem p. 2, 19. 23, 13 B., Senecam philosophum ep. 70, 14. 74, 13. 93, 9, Tacitum; tamen cum Cicero, Caesar, Sallustius, Livius hac forma abstinuerint, id mihi persuadet, ut Caesaris temporibus in sermone urbano eam receptam non fuisse censeam. Ceterum hodie quoque in Italicorum lingua exstat ‚chiudere' (Schuchardt, II p. 304. Diez, II³ p. 163). Similiter *cludam* = claudam (ab adiectivo ‚claudus') apud Plautum Pseud. 638 legitur; cf. Lorenzium ad Pseud. 92.

1. De derivatione.

a. De deminutivis.

De deminutivorum vi ac significatione cum a plurimis, nuper a Lorenzio in praefatione ad Plauti Pseudolum p. 58 sqq.

luculenter sit disputatum, nihil est quod ego eandem rem explanem, sed satis habeo haec monuisse. Cum deminutivis non modo minuatur vis alicuius vocabuli, sed animi affectus ita exprimantur, ut sint aut amantium aut dolentium aut cavillantium aut contemnentium, cumque frequentissimus fuerit eorum usus in cotidiano sermone, factum est, ut mox a simplicibus iam non differrent. Quod cum fere e singulorum locorum natura colligi debeat, tamen id alio quoque modo eoque duplici fieri potest. Ac primum quidem linguas Romanicas, in quibus saepe sola deminutiva servata sunt, huius rei graves esse testes iam pridem cognitum est (Philol. 34, 155 sq.); altera vero ratio, quae non solum ad deminutivorum indolem cognoscendam, sed omnino ad vulgaris sermonis naturam investigandam mea quidem sententia multum valet, haec erit, ut, si quem elegantem scriptorem deteriore usum esse fonte suspicari licet, num ille huius verba consulto mutaverit, accurate inquiramus. Unde quantum efficiatur ut demonstrem, uno defungar exemplo. Cum enim Plinium maiorem Vitruvio usum esse Detlefsenius demonstraverit in Philol. 31, p. 385 sqq., conferre iuvat singulos utriusque locos, quos ut similitudo clarius perspiciatur, inter se oppono.

Plinius 31, 57.	Vitruv. 8, 7, 10.
Ceterum a fonte duci fictilibus *tubis utilissimum* est crassitudine *binum* digitorum.	etiamque multo *salubrior* est ex *tubulis* aqua quam per fistulas ...... *tubuli crasso* corio ne minus *duorum* digitorum fiant; sed uti hi *tubuli* etc.

Quibus locis comparatis sequitur primum ut Plinius, sive ex ipso Vitruvio hausit, sive ex illo quem Vitruvius secutus est scriptore, *tubos* eosdem intellexerit quos Vitruvius *tubulos*, deinde ut Plinius elegantius scripserit *crassitudine binum digitorum* quam Vitruvius *crasso . . . duorum digitorum*; accedit quod cum Vitruvius constanter ,tubulus' scripserit ,tubus' uno loco perperam coniectura illatus est [1]).

Sed ut ad eos scriptores, de quibus haec disputatio est, redeam, primum nonnulla deminutiva apud illos habemus,

1) Quomodo ipsum Plinium posterioris aetatis scriptor in peius detorsisset, hac de re disputatum est in Litterar. Centralbl. 1876 p. 404 sq.

quae optimorum quoque sunt scriptorum, velut: adolescentulus b. Afr. 22, 2. 3. 23, 1, cancelli b. Afr. 15, 3, navicula b. Afr. 23, 1. 44, 4; sed tentoriolum b. Afr. 47, 5 idem vocatur, quod 47, 6 tentorium, neque omnino apud ullum scriptorem hoc vocabulum occurrit, quod nisi vertere ‚elende Zelte' males, item a propria significatione recessisse putandum est, ut apud Turpilium 97. Ribb:

remulis celox processerat.

et in pall. inc. inc. 21 Ribb.

paruncculis ad litus ludit celeribus.

Etiam facilius propriam deminutionis vim abesse in eis cognoscitur, quibus adiectivum, cui deminuendi vis inest, aut simplex aut ipsum deminutivum additum est. Ita autem res se habet in causula parvula b. Afr. 54, 1, quamquam illa causa minime levis est neque scriptor is est, qui eam talem fingat, ut est apud Apuleium met. 9, 35 *casula parvula;* et in Vulgata Graecum σκηνή redditur deminutivo ‚casula' Hebr. 11, 9; Sirac. 14, 25 (Roensch It. 94); eodem spectat navigiolum parvulum b. Afr. 63, 1 — ‚navigiolum' Lentulus quoque scripsit ap. Cic. Fam. 12, 15, 2, Cicero ipse solis in epistulis ‚actuariolum' ad Att. 10, 11, 4. 16, 6, 6. 3, 6. —; lapillus minutus b. Afr. 27, 1 eiusdem esse generis et ipsa locutio docet et exempla, qualia sunt: Terent. Andr. 2, 2, 32 *pisciculos minutos;* Varro R. R. 3, 17, 6; idem R. R. 2, 5, 10 *bestiolae minutae* (cf. Stuenkel p. 54); Plaut. Rud. 1335 *curculiunculi minuti* (cf. Lorenz. l. l. p. 62); Solin. 102, 12 *minutis orbiculis;* Iordanes Get. praef. *minutos pisciculos;* Arnob. adv. gent. 2, 49 *pulvisculus minutus;* cf. Caecilius 82 R. *tuguriolo pauperculo;* Titin. 138 *togula obunctula;* Cic. n. d. 2, 123 *pisciculi parvi;* Vitruv. 8, 3, 11 *fonticulus oppido quam parvulus;* Sueton. Claud. 34 *cultellos parvulos;* Apul. met. 6, 10 *formicula illa parvula;* Iordan. Get. praef. *parvo libello.* Ex *adiectivis deminutivis* in b. Afr. leguntur: parvulus 34, 3. 37, 3. 54, 1. 63, 2; quantulus 71, 2; feroculus 16, 1. Ac de parvulus quidem substantivis ipsis deminutivis adiecto modo disputavi; quantulus, si loci sententiam spectamus (quo pede se reciperent ab hoste et quemadmodum obuersi aduersariis et in quantulo spatio resisterent, modo procurrerent modo recederent . . . . praecipere) plane ad significationem simplicis ‚quantus' redit. Fe-

roculus sine dubio ex consuetudine inter se confabulantium dictum est, cum et totius loci natura ea sit, quippe cum Labienus loquens et cavillatione quadam militem carpens inducatur, neque adiectiva in ,x' desinentia umquam apud bonos scriptores deminuantur: est enim ,feroculus' apud Turpilium (107, R. ,heia quam ferocula est!'); apud Plautum Asin. 511 ,dicaculus' (dicacule: Apul. met. 1, 9. 8, 25), ,celocula' Mil. 1006; apud Petronium 63, Gell. 5, 21. 15, 5, Firmic. 1 praef., Festum p. 23. ,audaculus': etiam ,felicula', femininum adiectivi ,felix', in familiari dicendi genere usitatum fuisse videtur, quoniam saepe hoc cognomen muliebre in inscriptionibus obviam fit Felicula C. I. L. III 2151. 2167. 2484. 3033 saepius; Felicla III 1223. IV (Pomp. pariet.) 2199. 2200, quo eodem vocabulo comprobatur Woelfflini iudicium (Philol. 34, 154) ,das schöne geschlecht ist dem anderen um einen ganzen grad der deminution vorausgekommen'; nam cognomen ,Feliculus' non inveni. Cf. Balbus, Balbilla (Wilm. ex. 2509); Bassus, Bassilla (ibid. 2106); Clodius, Clodilla (ibid. 2488); Titus, Titulla (ibid. 2200), et quae sunt similia.

Adverbia certissime cotidiano sermoni adsignanda suppeditat auctor b. Hisp. 32, 6: belle (= benule) et 32, 7. clanculum: hoc praeter Plautum et Terentium Ad. 52. Eun. 602. Heaut. 672 usurpaverunt Atta 24, Afran. 87, Lucilius 27, 20 M., Gellius 1, 8, 5, Aulul. Peip. 47, 6; mutata forma *clanculo* Apuleius saepius, Ammianus Marcell. 21, 12, 13, Macrob. 5, 18, Hegesippus 4, 20, Augustin. epist. 54 sub fin. De homine ,clanculario' verba facit Mart. 10, 3, Tertull. de pall. 4.

b. De verbis frequentativis.

In frequentativis sive intensivis quae vocantur verbis ipsis quoque naturalem ac principalem aut frequentandi aut intendendi significationem ab hominibus plebeis neglectam esse docuerunt complures (cf. Philol. 34, 157); Plautina exempla collegit Schmilinsky de proprietate sermonis Plautini usu ling. Roman. illustrata, Halae 1866, ac nuperrime disputavit de eorum ratione Lorenzius praef. ad Plaut. Pseud. adnot. 48, denique Petroniana enotavit Ludwig.

Inter ea, quae auctoribus b. Afr. et Hisp. in usu sunt, suam retinuerunt vim: clamitare b. Afr. 82, 3; latitare

ibid. 91, 1 (cf. Acta p. 124); concursare b. Afr. 81, 1. 82, 2; exceptare b. Hisp. 17, 3 secundum coniecturam mea quidem sententia optimam Dinteri pro codicum scriptura ‚exspectantes'; raptare (‚huc atque illuc' b. Afr. 73, 4), quod ad sententiam attinet, illud quidem optime se habet, quamquam Livius scripsit aut ‚huc atque illuc rapere' aut ‚raptim agere'; sed haud scio an scribendum sit rapsare: primum enim haec scriptura trium optimorum codicum auctoritate probatur, deinde Gellius quoque 2, 6, 5 secundum codicem Vaticanum, cuius lectionem Hertzius defendit Vindic. Gellian. p. 19, scripsit: *rapsatur et huc atque illuc distrahitur,* et *rapsata* commemorat Schuchardtius I p. 156 Anm. ex Mar. Inscr. Alb. 137 CXLVIII 7 (idem Corssen, Aussprache I² p. 23). Lapsare enotavit ex Gellio 1, 15, 1 Vogelius de cop. verb. Gell. Zwickau. 1862. p. 28.

Sed intentare apud auctorem b. Hisp. 22, 4 (ei manus intentare coeperunt) frequentativi vim amisisse ostendit cum adiectum ‚coeperunt', quippe cum qui coepit aliquid facere, id nondum potuerit repetere, tum locutio usitatissima, quae est ‚manus intendere': illud autem ‚intentare' apud Petronium quoque (9. 70. 108) exstat, auctorem certe non commendandum. Quibus exemplis non possum non subiungere unum luculentum ex alio scriptore. Cum enim in verbo *vocare,* si ‚appellandi' significatio subest, per se inest vis frequentativa, frequ. *vocitare* a bonis scriptoribus rarissime admissum est, in oratione semel a Cicerone (pr. Rab. Post. 9, 23 *Demetrius qui Phalereus vocitatus est*); Vitruvius vicies bis (1, 2, 1: *hanc autem Graeci διάθεσιν vocitant;* ibid. 4 etc.) usus est. Idem saepius in inscriptionibus legitur: e. c. Wilm. 872 anni 637 a. u. c.: *in castelum, quei vocitatust Alianus.* ibid. 1269. *Aelius vocitatus est.* (cf. ibid. 553 car. sepulcr. nominitata).

c. De variis verborum formandorum generibus.

Substantivum tristimonia b. Afr. 10, 3 pro ‚tristitia' cum olim Nipperdeius prol. 18 enotavisset tantummodo ut a consuetudine Ciceronis aliorumque bonorum scriptorum recedens magisque antiquiorum proprium, hodie eorum qui his verborum investigandorum studiis dediti sunt iudicio (cf. Rebl. p. 14. Ludwig Petr. p. 29. Roensch It. 30) forma-

tiones in ,monia' ,monium' vulgaris sermonis esse constat, uelut ,tristimonia' Ciceroniana fere aetate ex Atellanarum scriptore Novio (401 Ribb.) affertur, *tristimonium* ex Petronio (63) (ap. eundem 61 *gaudimonium*). Excubitus (b. Hisp. 6, 4) recte illud quidem formatum, aliis tamen scriptoribus minime probatum, qui scripserunt excubiae, nisi fallor nullo praeterea loco invenitur nisi in Vulgata 2. Reg. 11, 6. (Roensch Ital. 90), qua re quin id gregariorum fuerit militum vocabulum ego non dubito. Etiam collatus b. Hisp. 31, 2 (idem quod ,concursus' significans) uno tantummodo alio loco legitur eoque alia ,collationis' significatione ap. Censorinum de die nat. 1.

Similiter fortasse iudicandum erit de *adiectivis* in icius exeuntibus: namque primum eandem sententiam, quae inest in auctoris b. H. stramenticius (16, 2 casas, quae stramenticiae . . . . aedificatae erant), et Caesar ita expressit ut scriberet b. gall. 5, 43 ,casas, quae stramentis erant tectae' et Livius 25, 39, 3 ,casis stramento tectis', deinde huius nullum fortasse habemus meliorem auctorem quam Varronem (sat. Menipp.: Aiax stramenticius p. 98, 5 R.) et Petronium c. 63; accedit quod talis formationis exempla leguntur potissimum apud scriptores minime elegantes, immo rusticos, velut in Varronis de re rustica scriptis (cf. Stuenkel p. 48); ut exemplis utar, *empticius* usurpaverunt Varro R. R. 3, 2, 12. 17, 7, Petronius et Seneca rhetor in controversiis, in quibus adhuc latent cotidiani sermonis luculenta vestigia, quae primus Reblingius persecutus est; *conducticius* Plautus Epid. 2, 3, 8. 5, 2, 41. Varro R. R. 1, 17, 2. Cornelius Nepos Iphicr. 2, 4. Chabr. 1, 2; *collecticius exercitus* Cicero in epistulis 7, 3, 2; Seneca quaest. nat. 7, 23, 2.

Horum adiectivorum apparet magnum numerum derivari a participiis, ita tamen ut fere eadem cum illis insit eis sententia (Stuenkel p. 48 *compositicius* ap. Varron. L. L. 6, 55. 8, 61, idem valere dicit quod participium ,compositus'. Exstat praeterea ap. Tertullianum anim. 9). Quae cum ita sint, equidem non dubito quin in b. Afr. 20, 4 ex plurimorum codicum lectione contra Nipperdeium restituendum sit ,etiam animadvertebat frumento se in Africa nisi importaticio uti non posse': quamquam optimus codex exhibet importato. Sed

mea quidem sententia potuit facilius accidere, ut aliquis librarius novum atque insolens verbum ,importaticio' — quod hoc uno loco exstat — interpretandum esse putaret addito ,importato', quam ut novum illud ipse inferret. Porro simile aliquid ipse Caesar praebet, sed in eo loco, ubi cum de munitionis alicuius natura disserat, in artis vocabulis, quae ex operariorum sermone sumenda erant, versatus est, scilicet bell. civ. 2, 15: *agger ex materia congesticius* (in eodem capite legitur *latericius*); idem Vitruv. 3, 3; Columella 2, 10, 18; Palladius 10, 7, 11; Sallustii vero locus Iug. 44, 5 *eaque mutare cum mercatoribus uino aduecticio* plane ad b. Afr. locum quadrat. Quare et exemplis quae modo protuli et aliis, quae magnam partem non inveniuntur nisi in inscriptionibus, velut nomina Castricius (Wilm. 91.) Bellicius (ibid. 260. 1194. 2601) Vestricianus (ibid. 455) Crassicius (ibid. 722. 722a), denique ex eo, quod in Italicorum lingua formationes in ,iccio, izio' valde frequentantur (Diez II³ p. 317. Schuchardt. II p. 252), adiectiva in icius formata quamquam ab sermone bene latino non prorsus abhorrerent, tamen multo latius in plebeio patuisse probari videtur.

Ne uoraginosus b. Hisp. 29, 2 quidem ab hoc genere potest seiungi: nam et soli Apuleius met. 9, 221 et Ammianus 24, 6, 7 exhibent et Stuenkelius (p. 50) monet Varronem Catonem ceterosque rei rusticae scriptores in deliciis habuisse adiectiva in — osus cadentia. Velut *victoriosus* Cato usurpavit apud Gell. 4, 9, 12. Cognominibus vero *Bonosus* et *Primosa*, quorum illud in tabula aliqua patronatus ap. Wilm. 2860, hoc in titulo operum publ. ibid. 751 invenio, syllabam ,osus' iis quoque uocabulis, quae iam adiectivorum signum gestabant, abundanter affixam esse declaratur. Ceterum conferatur Gell. 4, 9, 12 et Vogel. Gell. p. 17. Faventinus c. 3: *frigorosis regionibus*, quod apud nullum praeterea exstat scriptorem. Errabundus (b. Afr. 2, 5. 21, 3. 44, 2) primum occurrit ap. Lucretium 4, 690; postea singulis Vergilii (Ecl. 6, 58), Livii primae decadis (1, 29, 3), Vitruvii 4 praef. 1. locis invenitur (cf. Froehl. p. 58): quare me de vulgi sermone cogitare non dissimulo.

Aduerbia. Cruciabiliter b. Afr. 46, 2 atque alias tales in ,bilis' formationes vulgaris potissimum esse sermonis iam pridem demonstratum est, velut a Reblingio p. 14, a Lorenzio

ad Plauti Pseudol. v. 933; exempla Plautina collegit Schmilinsky l. l. 38, Varroniana Stuenkelius p. 39 sq.: ex quibus huc pertinent: Plaut. Pseud. 933 cruciabilis; id. Cist. 4, 1, 1 cruciabiliter; ibid. 2, 1, 3 cruciabilitas; accedunt Apul. met. 10, 20, Gell. 3, 9, Arnob. 2, 34. 61. 6, 22.

De iis adverbiis quae, cum ab adiectivis in ‚us‘ ducantur, tamen formantur in ‚ter‘, ita iudicavit Draeger I §. 69: ‚die endung *ter* ist in manchen adverbien falsch gebraucht, am wenigsten bei klassikern, am häufigsten in der alten zeit‘, nec multum discrepat Neue, lat. Form. II² 653: ‚von einer bedeutenden anzahl von adiectiven auf *us* . . . werden bei den älteren dichtern und bei ihren spaeteren nachahmern adverbia auf *ter* gebildet . . . . naviter, ignaviter, humaniter, duriter und largiter . . . werden grösstenteils auch bei schriftstellern der klassischen zeit gefunden‘. Sed rectius mihi quidem videtur intellexisse illorum rationem Reblingius, cum diceret p. 14: besonders in der volkssprache erhielten sich adverbialbildungen auf *ter* von adiectiven auf *us* aus der alten Latinität.‘ Atque inter exempla ab eo prolata (*duriter* saepe ap. Ennium, passim ap. Vitruvium, *indigniter* in inscriptione) legitur etiam ignaviter, quod auctor b. Afr. 81‘ 1, praeterea Lucilius XVI 2 M., Quadrigarius ap. Prisc. 15, 3, 13, Hirtius in epistula ap. Cic. ad Att. 15, 6, 2, Gellius 2, 6 in lemmate, Apuleius Met. 9, 16, Ammian. 17, 10, 2 scripserunt; quos scriptores si spectamus, ut familiari dicendi generi illud tribuamus, necessario inducimur. Pariter adverbium *gnaviter*, quod usurpaverunt Terentius, Sisenna, Cicero in epistolico genere (ad fam. 5, 12, 3), eodem modo Horatius, Columella, quater Livius, saepissime Apuleius, Symmachus in epistulis. Ne de Ciceronianis quidem formis *humaniter, perhumaniter* equidem aliud tulerim iudicium, cum ‚humaniter et perhumaniter‘ novies in epistulis, semel in alio illo quidem scripto (de or. 2, 11, 46) sed in eo loco, ubi in levius quoddam genus oratio descendit, inveniatur, ‚inhumaniter‘ in epistulis ad Qu. Fratr. 3, 1, 6, 21, locus ex Verr. 1, 52, 138 in ancipiti versetur. Cf. Acta p. 114 sq. Immo ipsi Caesari b. Gall. 4, 26 cum scriberet *firmiter insistere* valde vereor ne quid minus elegans elegantissimo exciderit scriptori, quoniam qui idem usurpaverunt, non sunt optimae notae, Plautus, Afranius, Lucilius,

Varro, Vitruvius 5, 12, 3. 10, 14, 2. 10, 21, 1. 4, Suetonius, Gellius, Apuleius: neque ignoro Ciceronem ipsum qui de Fin. 1, 21, 71. 2, 2, 6. 3, 9, 31 *firme* scripsit, bis *firmiter* posuisse, sed in eo libro, quem sermonis prisci colorem prae se ferre constat, de re publ. 1, 45, 69: *ubi in suo quisque est gradus firmiter collocatus.* id. 6, 2 apud Non. s. v. firmiter p. 512 [2]). An putamus ‚firme' propter similitudinem adverbii ‚ferme' in urbano quoque sermone evitatum eiusque loco ‚firmiter' usurpatum esse? Quid? quod largiter b. Afr. 72, 6, quod Cicero numquam posuit, sed Plautus, Laberius, Horatius in sermonibus (*large* in carminibus), Vitruvius, Petronius, Suetonius, Apuleius (cf. Wilm. inscr. 1791. 2009), ne apud Caesarem quidem deest, qui bell. gall. 1, 18 *largiter posse* scripsit. Sed ipsum quoque ‚posse' absolute pro eo quod est ‚potentem esse' satis insolens est, memorabile tamen, quod etiam in illo b. Afr. loco ‚quibus ex rebus largiter erat consecutus' verbum absolute positum est. Ceterum conferatur Naegelsbachii Lat. Stilistik [6] p. 440. Quamquam vereor, ne iam vituperer, quod ne illud quidem, quod Caesaris probatur maxima auctoritate, intemptatum relinquam, tamen ego quidem aliorum exemplorum multitudine invitus paene eo deducor, ut Caesarem familiari sermoni illo loco aliquid concessisse existimem.

Ut pauca ex aliis afferam scriptoribus exempla, Vitruvius octies decies adhibuit *faciliter*, usitatum *facile* quinquies; *crebriter* pro *crebro* idem Vitruv. 2, 8, 2. 7, 1, 3. 8, 2, 1. 10, 19, 7; Apul. Met. 1, 21. 3, 15. 4, 3. 26. 10, 2; praecipue in Atellanarum fabularum et mimi genere utpote plane in vulgi sermone versante talia inveniuntur (cf. Neue II² 655 sq.): *ampliter* Pompon. 54, *benigniter* id. 150, *duriter* Nov. 99, *festiviter* id. 40, *firmiter* Laber. 133, *insaniter* Pomp. 17, *mi-*

---

2) De prisco librorum de re p. sermone cf. praeter ea quae Philol. 34, 141 disputata sunt: 2, 29 *utor* c. accus.; 5, 3 *responsitare;* de *subagreste* 2, 7 Angelo Mai in indic. latin. dicit: haud sane lenius dictum quam simplex 2, 33 *commoveri ex aere alieno* (ut est in b. Afr. 46, 4. 57, 1. 72, 1; Corn. Nep. 14, 2, 1; Draeger I p. 595); 2, 33 *plusculum,* verbum maxime comicorum proprium; 6, 17 *prosperus;* 2, 37 *plebeiscito* sec. primam palimps. Vatic. manum: c. Angelo Mai in annotat.

seriter Laber. 149, *parciter* Pomp. 179, *primiter* Pomp. 70, *publiciter* id. 27, *puriter* Pomp. 10; Nov. 97, *reverecunditer* Pomp. 75', *torviter* id. 18.

Adverbia in tim formata (Neue II² 662) ipsa quoque ab hominibus de plebe potissimum adamata fuisse Corssenius Kr. Beitr. 285 recte docuit. Atque inter ea huius formationis exempla, quae auct. b. Afr. exhibet, 80, 4 citatim pro ‚cito' (Froehl. p. 56), quod ne uno quidem alio loco legitur, sine dubio generi dicendi plebeio assignari debet; catervatim ibid. 32, 3 omnium fere historicorum exemplo probatur (cf. Bruennert, de Sallust. imitatore Catonis 1873 p. 124 f.); minutatim cum apud bonos scriptores ut ap. Ciceronem (Acad. 2, 16, 49 saepius) valeat ‚stückweise', in b. Afr. synonymum est adverbii ‚paulatim', velut 31, 1 ‚minutatim se recipere', 78, 7 minutatim cedere, (Caes. b. civ. 2, 40 *paulatim cedant ac pedem referant.*) Eandem significationem habemus apud Varronem de re r. 1, 20 *minutatim assuefacere*, ibid. 2, 9 *m. desuefacere*, post in Senecae quoque deprendimus epistulis 30, 12 *minutatim subductus*, 38, 1 *sermo minutatim inrepit animo.* Ordinatim denique (b. Afr. 12, 2) licet a Caesaris scriptura non absit (b. civ. 2, 10), is tamen et in eo loco usus est, ubi, cum musculi describeret naturam, ad operariorum sermonem suum accommodasse verisimile est, et ea significatione, quae aduerbiis in ‚tim' a substantivis derivatis propria esse solet ‚reihenweise', non ‚geordnet' ut in b. Afr. (ord. consequi); sed cum huius libri auctore conspirant Sulpicius ap. Cic. Fam. 4, 5, 3 *ordinatim petere*, Brutus ibid. 11, 3, 2 *ille enim iit passim, ego ordinatim* et Ammianus 24, 1, 4 *ord. procedere*, qui idem 19, 7, 3 scripsit *inordinatim incedere:* contra Caesar eandem rem ita expressit, ut scriberet *ordines servare* b. gall. 4, 26; civ. 1, 71. Denique de tota hac adverbiorum ratione audiatur Roenschius, qui p. 473 de Italae sermone ita iudicat: ‚Bei der Bildung der Adverbia tritt besonders die Substituirung der Endungen ‚im' und ‚ter' für ‚e' hervor'.

Adverbium diverse (b. Afr. 40, 6 corpora diverse iacebant), quod priscae latinitatis est vocabulum, quoniam Terentius Andr. 260, Cicero in eo libro, quem adulescentulus conscripsit, de inv. 1, 50, Nepos Dat. 11, 3 (sec. cod. Dan.), Sallustius Catil. 61, 3 eo usi sunt, cum denuo occurrat apud

Suetonium Tib. 66, Galb. 19 et apud Gellium 7, 19, 9, fortasse Ciceroniana aetate in cotidiano sermone id non spretum fuisse coniectura assequi licet.

Seorsum b. Afr. 48, 2 (Froehl. p. 57) passim omnibus litterarum Romanarum aetatibus se offert, ita tamen ut plurima exstent in prisco sermone exempla (Neue II² 637), velut apud comicos, Catonem, Lucretium; unum apud Ciceronem de re publ. 6, 1, 1 cuius tamen libri de ratione iam supra dictum est; Coelius in epistula ad Ciceronem Fam. 8, 9, 3 scripsit *seorsus*. Dextrorsus b. Afr. 75, 7, qui locus apud Neuium II² 635 deest, legitur hac forma apud Livium 6, 31, cum *dextroversum* exstet ap. Plaut. Curc. 1, 1, 70, Rud. 1, 2, 87. 2, 3, 38; *dextroversum* ap. Lact. Inst. 6, 7, 7, *dextrorsum* ap. Attium praet. 27 Ribb. et Horat. sat. 2, 3, 58.

Quamquam de adverbiis cum suffixo ‚vorsum' compositis in universum copiosius disserere ab hoc loco alienum est, facere tamen non possum, quin, cum illa antiquis temporibus fuisse frequentissima, Ciceronis aetate rara, denuo increbruisse inde ab Apulei et Gellii temporibus, postea in romanicis linguis sat certa illorum exstare vestigia videam (Diez II² 468 f. lat. aliorsum, prov. alhors, frg. ailleurs; lat. sinistrorsum, francog. prisc. senestror; lat. sursum, susum frg. sous; lat. deorsum, deosum, ita. giuso, giù ex 'josum, jusum'), omnibus temporibus homines maxime plebeios illa suo favore videri prosecutos esse moneam.

2. De compositione verborum.

Cum verba plerumque cum particulis, inter quas *praepositiones* primum locum obtinent, ita soleant componi, ut quae cuiusque sit particulae propria significatio, ad hanc ipsorum dirigatur vis principalis atque immutetur, in cotidiano sermone haud raro accidit, ut in componendo propria particularum vi neglecta ad augendam tantummodo corroborandamque verborum vim respiceretur: id quod nostra aetate certatim a viris doctis demonstratum est (Philol. 34, 157 ff. Guericke 38 f. Rebling 17. Lorenz praef. ad Plauti Pseudolum adn. 36). In hoc verborum compositorum genere primum locum obtinere praepositiones *ad*, *con*, *de*, *ex* e libris quoque de b. Afr. et b. Hisp. facile intellegitur.

a. De verbis cum ad praepositione compositis.

Adaugere b. Afr. 1, 5 etsi semel ap. Caesarem b. civ. 3, 58, et ap. Hirtium b. Alex. 12 legitur, tamen cum Cicero in prioribus tantummodo scriptis admiserit (de inv. 2, 18, 75, or. pr. Rosc Am. 11), comici passim illud usurpaverint (Plaut. Stich. 2, 2, 62; Terent. Heaut. 435), et unus Vitruvius sexies (3, 2, 11. 13. 4, 3, 10. 4, 4, 2. 5, 1, 10. 9, 5, 3), familiari sermoni propius fuisse iudicaverim.

Certiore iudicio huc referri potest apprehendere b. Hisp. 18, 1 (revertit ad portam et hominem apprehendit) significatione prehendendi vel comprehendendi subiecta (cf. Fleischer p. 16 Anm. 1): nam haec est ap. Gell. 5, 14 *a militibus visus apprehensusque sum*, ap. Ulp. Dig. 13, 7, 11 *furem apprehendere*, ibid. 11, 4, 1, 3; similiter Cicero dixit in epistulis ad. Att. 10, 8, 2 *apprehendere Hispanias:* quocum cf. Caesar b. civ. 3, 112 *Pharon prehendit.*

b. De verbis cum con praepositione compositis.

Ut ab luculento incipiam exemplo, Caesar semper usus est locutione se fugae mandare (b. gall. 1, 12. 2, 24. 5, 18. 7, 67), item Hirtius (gall. 8, 29); at apud auctorem b. Afr. 34, 2 legitur: se fugae commendare: quam formam posterioribus temporibus usitatam fuisse inde discimus, quod Nonius priorem illam, quam ex Sisenna affert, explanandam esse existimans p. 135 M. dixit: *se fugae mandare. mandare positum pro commendare.* Parem rationem secutus Brutus ap. Cic. Fam. 11, 10 scripsit non *litteris mandare*, in formulam paene quamquam haec verba abierant, sed *litteris commendare.*

Convulnerare locis b. Afr. 5, 1. 7, 5. 15, 2. 17, 3. 39, 3. 41, 1. 52, 3. 61, 4. 69, 5 omnino primis invenitur: quo de vocabulo disserens Nipperdeius prol. 18 cum diceret: ‚convulnerare primum ex Seneca notatum video neque ego antiquius exemplum habeo', de philosopho cogitasse videtur: sed exstat antiquius apud Senecam rhetorem controv. 2, 9, 6; cuius tamen de latinitate vide ea, quae Reblingius p. 20 disputavit. Iam increbruisse illud verbum exempla docent Senecae philosophi, Pliniorum, Curtii, Columellae, Frontini, Iustini, Apulei, Tertulliani, Arnobii.

Etiam comminari b. Afr. 71, 1 in lexicis ex nullo priore scriptore commemoratur: Liviana ac Suetoniana exempla collegit Froehlichius p. 54.

Quantopere antetulerit compositum simplici auctor b. Afr., licet videre in commorandi potissimum verbo: nam cum, ut Hirtium conferam, is saepe verbo morari significatione ,versandi' usus sit, b. gall. 8, 4. 34 bis; 42. 46; b. Al. 7. 51. 55. 56. 57. 66. 78, rarius ,commorandi' b. gall. 8, 44; Alex. 3. 65. 66, auctor b. Afr. ,morari' sola significatione morandi usurpavit, versandi nunquam, sed commorari 2, 2. 3, 2. 5. 18, 5. 24, 1. 32, 1. 38, 2. 48, 5. 53. 63, 3. 5. bis 66, 1. 78, 3. 9; cf. Nipperd. prol. 23. Condensare (b. Afr. 13, 1) primum in prosa oratione apud Varronem deprendimus de r. r. 2, 3, 9, qui idem teste Stuenkelio p. 71 *conquadrare* sat. frg. 96 eadem sententia qua *quadrare* sat. frg. 248, *compascere* eadem qua *pascere* r. r. 1, 53. 2. prooem. 5, *contremulus* eadem qua *tremulus* adhibuit. *Condensere* in poëtico genere ap. Lucretium 1, 392; item condensus (b. Afr. 14, 2. 50, 1) nec Cicero nec Caesar neque Hirtius probaverunt, sed idem Lucretius, postea Livius, Plinius (Froehl. p. 55), ita ut e prosae orationis auctoribus, qui quidem aetatem tulerunt, belli Afr. scriptor primus hoc adiectivum usurpasse putandus sit. Neque a re abhorrere videtur commemorare in linguas romanicas non simplex sed compositum receptum esse, velut Francogallis in usu tantummodo est ,condenser', Italis magis ,condensare' quam ,densare' probatur, Hispanis ,condesar'. (Veterum Hispanorum erat ,condesa' = Haufe Menschen. cf. Diez, Etymol. Wörterb. II³ 120.)

Commigrare (b. Afr. 20, 6) Froehlichius repetit e Plauto Trin. 1084, Terentio Ad. 649. Andr. 70, quibus addendus est Turpilius 77. 79 Ribb., e prosa primum affertur Ciceronis exemplum, quod quidem in epistolico genere ad Qu. Fr. 2, 3, 7 invenitur, alterum hoc belli Afr. est: quorum exemplorum auctoritate perpensa ,commigrare' cotidiano sermoni tribuere non dubito: ex quo postea sumpserunt Livius, Curtius, Tacitus, Suetonius, Gellius.

Consuefacere (b. Afr. 73, 3) apud optimos scriptores non legitur, quibus proprium est ,assuefacere', velut apud Caes. b. gall. 4, 2, sed ap. Terent. Ad. 54. 74. 414, Varronem r. r. 3, 9, 15. 2, 9, 13, Sallust. Iug. 80, 2, Colum. 8, 10,

Iul. Val. r. gest. Al. Mag. 3, 18. Item pro eo, quod apud Caesarem legitur ‚assuetus' vel ‚assuefactus' (b. gall. 4, 1. 3. 6, 24. b. civ. 1, 44), scripsit et auctor b. Afr. 73, 2 et auct. b. Hisp. 25, 2 consuetus, quo usi sunt Plautus, Caecilius, Terentius, Pacuvius, Varro, Cicero semel de re publ. 3, 5, 8, Sallustius, poëtae Augusteae aetatis. Ceterum quam haec forma plebi accepta fuerit, docemur loco Vitruvii 1, 4, 11, quo *inconsuetus* posuit pro eo, quod ab aliis usu receptum est ‚insuetus'.

In locutione ‚concurrere contra aliquem' b. Afr. 6, 2 concurrere sine dubio pro simplici ‚currere' positum est: neque enim utraque acies concurrere narratur, sed sola altera neque alio loco ‚concurrere' coniunctum cum praepositione ‚contra' deprehendimus. Sed huius usus habemus Apuleium quoque auctorem, qui Met. 9, 54 concurrere de uno homine dixit, ut postea Dictys Cretensis (v. Hildebrandi in Apul. l. l. adnotationem); eundem Apuleium *commilitonis* vocabulo eosdem significasse, quos ceteri ‚milites' dicunt, Koziolus (Stil des Apul. p. 281) observavit. Atque tali verba cum ‚con' componendi studio abreptus mihi videtur scripsisse auctor b. Afr. 91, 4 ‚ferro consumpsit', id quod Froehl. p. 61 miratur, pro ‚ferro absumere', 73, 4 concipere pro ‚percipere', item 31, 5 conserere pro ‚disserere' (cf. Caes. gall. 7, 73): cuius rei exempla iterum ex Apuleio repeto, qui Met. 6, 16 et 6, 23 *conferre* praebet, ubi *adferre* desideratur, deinde Met. 4, 9. 9, 6. 30. 32, Asclep. 23 *contentus* pro *detentus.*

Apud auct. b. Hisp. 22, 7. 31, 2 conterrere reperitur, quod Caesar et Hirtius removerunt, Cicero semel (de or. 1, 49, 214) admisit, inde a Livii aetate increbruit: Ciceroniana aetate homines plebeios illud pro simplici in deliciis habuisse veri dissimile non est.

Vocabuli coangustare (b. Hisp. 5, 5 bis; 23, 7; Caesar: coartare vel coacervare) auctores non sunt optimi: Varro r. r. 3, 16, 15, Celsus, Ulpianus, Aur. Victor; Festus p. 50 monet: *Conauditum, coauditum, sicut conangustatum dicitur:* quo simul loco fuisse aliquando verbum conaudire comprobatur, quod quidem in eis latinis scriptoribus, qui ad nostram aetatem pervenerunt, non invenitur. Translata significatione ‚coangustare' semel exstat ap. Cic. legg. 3, 14 fin.

Concidere (b. Hisp. 4, 3. 6, 5. 36, 3. 5) quamquam

vocabulum est usitatum et ab ipso Caesare frequentatum, ideo propono, quod simplex ,caedere' ab auctore plane neglectum est: unde illud magis in militum ore quam hoc fuisse concluserim. Idem iudicium ferendum est de substantivo convallis, quod omnibus locis et auctor b. Afr. 7, 6. 50, 1. 66, 2 et auct. b. Hisp. 7, 1. 25, 2. 28, 2 simplici ,vallis' praetulerunt. Cf. Nipperd. prol. 24.

c. De verbis cum praepositione ,de' compositis.

Belli Hisp. praecipue auctorem verborum ,de' praepositione conformatorum valde esse amantem eaque simplicibus solere praeferre iam Fleischer p. 20 monuit. Utique vulgare est verbum depostulare b. Hisp. 1, 5, cuius usum primum resuscitasse videtur Tertullianus adv. gnost. 7, de resurr. carn. 37 (cf. Symmach. ep. 9, 52); *depostulator* idem Tertullianus profert Apolog. 35.

Deterrendi verbo Hisp. 16, 6 (qua oratione deterritos amplius iugulationem non fecisse) et b. Afr. 69, 4 (pulsos deterritosque finem lacessendi facturos) nescio an eandem subiecerint hi auctores sententiam quae subest ,perterrendi' verbo: nam primum cum utroque loco absolute verbum positum sit, tum b. Hisp., si pervulgata subesset significatio, vel requireretur verba ,amplius iugulationem non fecisse' ab illo pendere, id quod non censendum est; deinde auct. b. Afr. in eadem formula usus est ,deterrere', qua etiam ,perterrere': 31, 3 ,pulsus perterritusque', 69, 4 ,pulsos deterritosque'.

Depugnare b. Hisp. 34, 3 illa pugnae usque ad summum discrimen deductae vi deposita ad meram ,pugnandi' redit, quemadmodum etiam in b. Afr. locis 29, 1 ,minutis proeliis inter se depugnare', 45, 3 ,pro cuius dignitate . . . . tot annis depugnavi'. Cf. Froehl. p. 21.

,Deuri' b. Hisp. 27, 4, ,deduci' ibid. 29, 5, ,deprehendere' 18, 6, ,devocare' 24, 2, ,depopulare' 42, 6, ,deerrare' b. Afr. 8, 2. 11, 4 cum ab usu pervulgato non discedant, verbo detineri ita usus est auctor b. Hisp., ut necessitatis cuiusdam notione expulsa relinqueretur fere ,commorandi' vis: ut 34, 5 ,Caesar oppido potitur. Dum hic detinetur, etc.', quamquam nulla res a proficiscendo retardavit. (In Hispanorum lingua hodie ,detenerse' significat ,commorari'.)

d. De verbis cum praepositione ‚ex' compositis.

Conspirant auctor b. Afr. et Hisp. in usu vocabuli efflagitare, quod cum sit bene latinum, tamen apud Caesarem et Hirtium nusquam legitur: neque tam illis scriptoribus vitio vertendum quod adhibebant, quam quod in iis locis, ubi sententia gravius vocabulum nequaquam postulabat, velut b. Afr. 56, 3; b. Hisp. 25, 2. 29, 7; b. Afr. 22, 5 orationis excusationem habet. Alteriusutrius sunt haec:

Enecare (b. Afr. 84, 1) vocabulum est cum antiquorum scriptorum tum maxime comicorum, qui forma utuntur ‚enicare' notione ‚interficiendi' (Froehl. p. 54); Cicero ter admisit de divin. 1, 29, 61. 2, 35, 73, quo in libro priscorum scripta veluti Coelii eum secutum esse constat, et in epistulis (ad Att. 6, 1, 2), sed translata ‚infringendi' significatione; postea Liv. 21, 40, 9; Tac. ann. 14, 64; Suet. de gramm. 3; Plinius n. h. saepius.

Exporrigere (b. Afr. 42, 4. 78, 4. Nipperd. prol. 18) vulgare esse verbum docent Terentii Adel. 839, Titinii 172 Ribb. *exporge frontem*, Vitruvii 9, 6, 6 exempla; tamen usurpavit etiam Pomponius Mela, Seneca philosophus, Plinius n. h.

Item de exaequandi verbo, si quidem propria ac principalis ei inditur significatio ‚gleichmachen', indicandum est: nam hunc usum invenimus apud Varronem r. r. 1, 40, ap. auctor. b. Hisp. 5, 6 (tumulos tumulis exaequabant), ap. Vitruvium 1, 6, 12. 3, 2, 5. 11, 3, 5. 5, 9, 7. 5, 12, 3 bis. 4. 8, 7, 15. 10, 6, 12. 7, 1, 1: transfertur ab optimis scriptoribus velut ab ipso Caesare b. civ. 1, 4. Cf. adaequare.

Ne exaggerandi quidem verbi propria significatio usitata est apud bonos scriptores, ita ut cum auctor b. Hisp. 5, 6 scripserit ‚morti mortem exaggerabant' (cf. Vitruv. 2, 1, 5. 10, 11, 3. 22, 12), Caesar b. Gall. 2, 27 dicere maluerit *coacervatis cadaveribus*.

Postremo quantum momenti verba cum praepositione ‚ex' composita amiserint, licet conspicere in efficiendi verbo: cum in ea locutione, quae formulae fere vim habet ‚potestatem sui facere', auctor b. Hisp. 30, 5 pro ‚facere' substituerit ‚efficere'.

e. De verbis cum praepositionibus ‚in', ‚per', ‚prae', ‚pro', ‚trans', compositis.

Quamquam verba, de quibus hoc loco sum dicturus, non omnia aut cum iis praepositionibus, quas initio huius capitis indicavi, composita aut ea sunt, in quibus praepositiones tantummodo ad vim verborum augendam valeant, tamen cum ad praepositionum genus haec quoque pertineant, illis subiungere non dubito.

Num auctor b. Hisp. usquam verbo simplici sequi usus sit, dubitari potest: nam cum legatur 7, 1 insequenti nocte, 10, 1. 19, 3. 5 insequenti luce, 14, 2. 21, 3. 25, 1 insequenti die, 15, 5. 18, 5. 23, 1. 27, 1. 5 insequenti tempore; praeterea insequi 10, 4. 18, 1. 22, 3. 25, 8. 38, 5: mihi quidem valde esse videtur probabile, etiam 28, 1 auctorem b. Hisp. scripsisse non ‚sequenti die' sed ‚insequenti die'. Quam facile vero in verbis quae sunt 37, 2 ‚confestim sequi coepit' ‚in' intercidere potuerit, nemo non intellegit.

Perimpeditus b. Afr. 58, 5 ἅπαξ εἰρημένον est, sed formationes praepositione ‚per' factas in cotidiano sermone adamatas fuisse certum est, quare in Ciceronis epistulis potissimum inveniuntur. Acquiesco autem in enumerandis paucis adiectivis et ipsis cum particula negativa ‚in' compositis: *perimbecillus* Varro r. r. 3, 10, 5. Cic. Att. 10, 18, 1. Sulp. Sever. chron. 2, 17, 3 (Stuenkel p. 73); *perincommode* Cic Att. 1, 17. Liv. 37, 41; *perindignus* Suet. Tib. 50. Sidon. ep. 11, 4; *peringratus* Senec. ep. 98; *periniquus* Cic. Fam. 12, 18, 1 id. or. pr. leg. Man. 22; *perinsolens;* Not. Tiron. p. 47; *perinvalidus* Curt. 9, 6, 23; *perinvitus* Cic. Fam. 7, 33 fin. Liv. 40, 57, 3.

Praepedire b. Hisp. 31, 6 (mentes timor praepediebat), quod verbum hoc primo prosae loco legitur, repeti debet ex prisco sermone Plauti (Poen. 4, 2, 5. Casin. 3, 5, 25: *timor praepedit dicta*), Accii 179 Ribb.; neque tamen Livius, Plinius, Tacitus id spreverunt.

Item proloqui, quod verbum auctor b. Afr. 35, 3 pro locutione ‚verba facere' (Caes. b. gall. 2, 14), 44, 4 pro loc. ‚sententiam dicere' (Caes. b. gall. 3, 3. 7, 77. Hirt. b. gall. 8, 53) posuit, prisci est sermonis (Enn. 216. 293. Pacuv. 31 Ribb. Plaut. Amph. prol. 50; ibid. 1, 1, 92; id. Capt. prol. 6.

Epid. 3, 4, 28. Aul. 2, 1, 18. 3, 5, 45. Terent. Phorm. 861. Hec. 646. Ad. 690. Afran. 213 R. inc. inc. 30 R.). Tamen si legimus apud Varronem de l. l. 6, 7, 56: *Prolocutum (dicimus) cum animo quod habuit extulit loquendo*, quamquam id apud scriptores illius aetatis nusquam obviam fit; deinde si assentiemur Ribbeckio, qui eum quem Cic. or. 43, 147 vocat ‚pervulgatissimum versum', *artem pudere proloqui quam factites,* ex mimo sumptum esse iudicat, postremo si, quod ego sciam, apud ecclesiasticos demum rursus invenitur, Arnob. 1, 24. 25; Commod. carm. apol. 624, temporibus Ciceronis ‚proloqui' plebis fuisse proprium, cuius usum auct. b. Afr. secutus esse censendus sit, veri est non dissimile.

Cum Caesar semper, auct. b. Afr. quater (32, 3. 35, 6. 56, 4. 85, 4) perfugere, item Caesar et auct. b. Afr. ex consuetudine (b. Afr. 35, 2. 6) substantivum perfuga usurpaverint, quod ne a belli Hisp. quidem auctore (6, 2) alienum est, huic usitata sunt transfugere 7, 4. 11, 2. 18, 3. 19, 3. 20, 2. 4. 21, 1. 22, 8. 26, 2. 3. 27, 2 et transfuga 16, 5. 18, 5. 8 (idem b. Afr. 74, 3). Ac ‚transfugiendi' quidem verbo usi sunt Plautus Epid. 1, 1, 28, Mil. 590, Quadrigarius ap. Senec. benef. 3, 23, Cicero in oratione illa iuvenili aetate habita pro Quinctio 30, 93, Caelius ap. Cic. Fam. 8, 6, 5, Cornelius Nepos Dat. 6, Ages. 6; semel ut videtur Livius 34, 25, 12, Suetonius Ner. 3. Quid igitur? cum in uno b. Hisp. commentario ‚transfugere' undecies reperiatur, per alios tot latinorum scriptorum libros tam raro, nonne id ex castrensi fluxisse consuetudine dicendi nostro iure coniciemus? Deinde ‚transfuga' primo videtur exstare apud Ciceronem de divin. 1, 44, 100, quem tamen locum se annalibus quibusdam debere ipse dicit, postea ap. Tac. Germ. 12, Suet. Calig. 47 etc. T. Livium si quis altero quoque loco praeter eum, quem modo commemoravi, hoc substantivum adhibuisse ex Periocha 51 *(transfugas et fugitivos bestiis obiecit)* effici putet, id ad epitomatoris potius dicendi genus referendum esse monendum est, sicuti colligitur ex Livio 30, 43 extr. *de perfugis gravius quam de fugitivis consultum.*

Quibus verbis compositis in fine subiungo duo adverbia composita:

Circumcirca b. Hisp. 41, 3, de quo Draeger §. 67 a

dicit: ‚sehr selten aber in allen Zeitaltern', iam pridem a viris doctis veluti a Reisigio, Vorl. 138, 6, nuperrime a Rebl. p. 17 merito ut plurima duabus praepositionibus composita (desub, exadversus), e qualibus permultas romanicarum linguarum praepositiones ortas esse certum est (avant = abante; dès = de ex), vulgari sermoni tributum est: id quod etiam ii scriptores, qui praeter auctorem b. Hisp. usi sunt, confirmant: Plautus Aulul. 3, 4, 9; Cato 89, 29 Iord.; Sulpicius ap. Cic. Fam. 4, 5, 4; Apul. met. 11, 23. Denique similia ut *praeterpropter, transcontra* (Vitruv.) vulgaria esse testabatur olim Gellius 19, 10.

Inibi b. Afr. 23, 1 (Froehl. p. 59) Reblingius p. 11 probabiliter ut cetera adverbia cum ‚ibi' composita ex prisco sermone in cotidiano Ciceronianae quoque aetatis servata esse coniecit; de Ciceron. exemplis cf. Acta p. 112.

Appendix:

De flexione.

1. De declinatione.

a. De genere substantivorum.

Corbis auctor b. Hisp. 5, 1 masculini generis esse voluit (corbes plenos), contra Cicero Sest. 38, 12 et Serv. ad Verg. Georg. 1, 165 feminini. Ac priorem quidem rationem praeter hunc secuti sunt Varro d. l. l. 5, 31, 139; Colum. 11, 2, 99; Suet. Ner. 19; Prudent. dittoch. 147 (Neue I² 674): quae exempla mihi perpendenti simulque genera confundendi omnino esse vulgi consuetudinem consideranti masculinum substantivi ‚corbis' genus plebi deberi persuadent. Velut ipse Cicero in epistulis a se impetravit, ut substantivum *finis* feminino generi tribueret, sicut fecerunt Varro d. l. l. 9, 28, 36; Att. ap. Cic. Att. 9, 10, 4; Asin. Poll. ap. Cic. Fam. 10, 32, 4, poëtae (Neue l. l. 675).

De forma carra (b. Hisp. 6, 2) cum totus locus misere corruptus sit, minus constare puto quam ut de hac disputare liceat.

b. De numero.

Paucus singulari numero rarissime legitur, velut ap. auct. b. Afr. 67, 2 (magno . . . fici numero, pauco tritici;

Froehl. p. 61); ap. Vitruv. 1, 1, 6 *pauca manu;* Gell. 20, 1, 31 *pauco aere* (ap. Hor. a. p. 203 *pauco foramine* poëtica licentia singularis pro plurali positus est); Gregor. Turon. 5, 20 *infra paucum tempus:* quem usum vulgarem fuisse primum mihi probatur illorum scriptorum minime Ciceronis elegantiam imitantium consensu; deinde quod ex adverbiis *pauciens* Titin. 40, 41 Ribb., Cael. ap. Non. 167, 19 et *pauciter* Petron. 103 omnino in plebis sermone magis frequentatum fuisse voc. ‚paucus', quam quis ex litterarum reliquiis collegerit, apparet; denique quod cum omnes linguae romanicae ipsum singularem retinuerunt (It. Hisp. *poco;* frg. *peu*), tum — qua de re Diezius II³ 455 disputat — etiam in lingua Provinciali, ut illo b. Afr. loco, ‚pauc' adiectivi ‚parvus' munere fungitur. Quod vero Schuchardtius III 48 inter pauca verba ad cotidianae vitae usum revocanda, quae lingua Albanensis ex latina recepit, etiam affert πακε = paucum, documento est pervulgatissimum fuisse illud in cotidiano sermone extrema quidem linguae latinae aetate; quamquam Ciceronianae quoque et Augusteae non defuisse b. Afr. et Vitruvii exemplis demonstratum est.

c. De casibus.

Forma genetivi die pro ‚diei' (b. Afr. 61, 1) Caesari non probata Plauto placuit, Sallustio, Livio (9, 37. 21, 47) (cf. Neue I² 379), cum *acie* pro *aciei* (Afr. 51, 7) ne apud Caesarem quidem desideretur (b. gall. 2, 23, 1); sed planicie pro ‚planiciei' (b. Hisp. 24, 4) apud alium scriptorem non videtur inveniri. Neque a verisimilitudine abhorret contractionem illam syllabarum *ei* in *e*, quam optimi scriptores hic illic admisisse videntur, in plebeio sermone fuisse minime insolentem, id quod ex ipsarum vocalium *e* et *i* natura atque affinitate efficitur.

Dativum vocabuli vis praeter b. Afr. 69, 2 (equitibus suis hostium vi oppositis) inveni sola in inscriptione C. I. L. 5, 837 *vi divinae sacrum:* eum una cum genetivo a Varrone de l. l. 8, 2, 7 probato, sed non usitato nisi apud iuris consultos, vel contra dicentibus grammaticis ab hominibus plebeis minime spretum fuisse me conicere fateor. Quippe illi in aliis quoque rebus, quae ad hoc genus spectant, minus grammaticorum tenaces fuerunt praeceptorum; veluti *suae spontis*

pro usitata locutione ,sua sponte' in usu esse non desiit (Colum. 9, 4, 2. 11, 3, 10; Cels. 1, 1; cf. Varro de l. l. 6. 7, 71; Neue I² 488), et *astu*, apud omnes fere scriptores pro accusativo positum, ablativi munus sustinere iusserunt Vitruvius 7 praef. 17 et Apul. met. 1, 24.

Quis pro ,quibus' b. Hisp. 23, 8 (complures sunt vulneribus adfecti, in quis etiam Clodius Arquitius; cf. Neue II² 234; Philol. 25, 105. 34, 146) Varro scripsit saepe (14ies in libris de re rustica), Cicero solis in epistulis (ad Att. 10, 11, 2. 3. 13, 22, 4. Fam. 11, 16, 3), quibus locis omnibus Wesenbergius contra Medicei auctoritatem male *quibus* correxit, Sallustius saepe, Horatius in sermonibus tantum, Livius, Tacitus: ac Iustiniani temporibus non insolens fuisse, quamquam scriptorum locos non novimus, Priscianus testatur 13, 3, 13: *dativum et ablativum nunc quoque tam per ,is' quam per ,bus' proferimus.* Auctor b. Hisp. fortasse publicarum tabularum repraesentavit dicendi genus, in quibus, qui tribuni, praefecti, centuriones in proelio ceciderant, enumerari solebant.

2. De coniugatione.

a. De genere verbi.

Quicunque vel primis labris priscos Romanorum scriptores attigit, minime ignorat in multis verbis, quae apud optimos scriptores deponentium prae se ferunt formam, activam esse usurpatam: sed ut posterioribus temporibus ne boni quidem scriptores a participiis perfecti passivi deponentium passiva significatione adhibendis abstinuerunt, ita homines plebei, qui antiquissima quaeque fidelissime retinent, per omnes linguae latinae aetates activas deponentium formas in suum usum vertentes videmus. Uterque autem usus commentariorum b. Afr. et Hisp. exemplis illustrari potest.

Assentire pro ,assentiri' (b. Afr. 88, 2. Neue II² 270 sq.) dixerunt Plautus, Accius, Pomponius 167 R., immo ipse Cicero (cf. Acta p. 113), sed primum quidem in eo libro, quem ipse de or. 1, 2, 5 iudicat puero sibi aut adulescentulo ex commentariolis incohatum ac rudem excidisse, saepius de invent. 1, 17, 25, passim in epistulis Fam. 1, 1, 3. 1, 21. 5, 2, 9; ad Att. 1, 14, 5. 2, 1, 8. 9, 9, 1; Qu. fr. 2, 1, 2, semel in orationum genere (de imp. Cn.

Pomp. 16, 48), quo tamen loco adductum esse concinnitatis efficiendae studio in promptu est: *(ut eius semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti obsecundarint)*; de legg. 2, 13, 33 quid scripserit Cicero dubium est, cum et paulo ante et paulo post ‚assentior' frequentetur: atque ut ‚assentio' scripserit Cicero, excusationem habet totius loci ad sermocinantium consuetudinem conformati ratio; Livius uno loco primi libri 1, 54, 1 admisit, frequentius, qui post eum scripserunt. Quibus exemplis propositis si considerabimus, Caesarem formae ‚assentio' nunquam, Ciceronem in epistolico potissimum scribendi genere indulsisse, ea aetate, ad quam b. Afr. commentarius referendus est, illam magis familiaris fuisse sermonis proprium recte iudicabimus.

Depopulare verbi forma activa, si Neuio II² 314 credendum est, in prosa oratione nemo adhibuit, nisi auctor b. Hisp. 42, 6 (depopulavit), poetarum Ennius trag. 3 R., Caecil. 13; item *populare* inter prosae scriptores solus Claudius Quadrigarius.

Insectatus (b. Afr. 71, 4 miles ab iis insectatus; cf. Nipp. prol. 18; Neue II² 320; Draeger I 134) etsi videri possit participium perf. deponentis passiva significatione usurpatum, tamen pro participio perfecti passivi quoque accipere licet verbi ‚insectare', quo Plautus Capt. 3, 4, 61; Poen. 3, 1, 25 usus est; *sectari* passivi loco usurpavit Varro de re r. 2, 9, 6 (*a cane sectari*; cf. Stuenkel p. 11), *consectari* Laberius 142 R. *a populo lapidibus consectari.*

Item aspernari (b. Afr. 93, 3) sensu passivo ad cotidianum dicendi genus pertinere docent exempla Ciceronis, quem Priscianus 8, 4, 17 in epistula ad Nepotem scripsisse tradit *‚qui habet, ultro appetitur, qui est pauper, aspernatur'*, et Arnobii adv. gent. 2, 2. 5, 25; cf. Neue II² 274; Draeger I 134.

Participii perfecti passivi persuasus b. Afr. 55, 1 interpretationem repetimus auctore Neuio II² 261 ex activo cum accusativo constructo, qui usus ex prisco sermone transiit in vulgarem Petronii 46. 62; Tertulliani de resurr. 21; de anim. 44; adv. Valent. 9; Fulgentii Myth. 2, 5. 3, 6: idem in romanicas linguas, qua de re Diezius III³ 108 dicit: ‚persuadere aliquem statt des klassischen alicui ist *echt romanisch*'.

Ita ‚persuasus' non precario, sed quasi iure utpote a verbo transitivo ductum passivi vices sustinet, quem usum secuti sunt Cornificius 1, 6, 9. 10, Caecina ap. Cic. Fam. 6, 7, 2, Petron. 81, Valer. Max. 3, 8, 1. 5, 9, 4, Plin. n. h. 10, 23, 33, Iustinus, Tertullianus, poëtae admodum multi, Prop. 5, 1, 146, Ovid. a. a. 3, 679, Phaedr. 1, 8, 7. 3, 5, 8.

Cenatus (Neue II² 337), quod plerumque participii perfecti activi vice ponitur, verbi finiti locum obtinere voluit auctor b. Afr. 94, 1 ‚cum iam cenatus esset'. Quod etsi Varronis auctoritate defenditur ap. Gell. 2, 25, 7: *cum a ceno et prandeo et poto et cenatus sum et pransus sum et potus sum dicamus*, tamen aliquid ex sermonis vulgaris colore trahere non est cur negemus collatis Plauti Curc. 2, 3, 75 *postquam cenati* et Sallustii locis, quem aliquantulum a sermone urbano distare constat: Iug. 106, 4: *‚statim milites cenatos esse in castris, ignis quam creberrimos fieri, dein prima vigilia silentio egredi iubet'*.

Galeari mediali significatione ‚sich den Helm aufsetzen' apud unum auctorem b. Afr. 12, 3 (Froehl. p. 56) reperitur, cum Caesar eandem rem b. gall. 2, 21 ita exprimat, ut scribat *galeam induere;* activo galeare secundum Nonium 87, 28 Cinna usus est.

b. De temporibus.

Quamquam iam vereor, ne cui nimio studio ubique vulgaria odorari videar, tamen praetermittere non possum quin moneam auctorem b. Hisp. 19, 6 scripsisse ‚fidem praestaturum', cum hanc futuri formam apud scriptores Caesarianae et priscae aetatis omnino non invenerim nisi in Ciceronis eiusque amicorum epistulis, velut Fam. 1, 8, 4. 6, 8, 1. Att. 14, 16, 4. Planc. ap. Cic. Fam. 10, 11, 2. Brut. ibid. 11, 9, 1. Trebon. ibid. 12, 16, 2. Balb. ap. Cic. Att. 9, 7 B. 3; postea, inde a Livio, saepe occurrit, non solum apud Vitruv. 1, 1, 17, sed etiam creberrime ap. iurisconsultos. Cf. Neue II² 589. Atque ut ipsis numeris consulto Ciceronem participium futuri verbi ‚praestare' evitasse demonstratur, ita Caesarem quoque data opera effugisse apparebit coll. b. Hisp. 19, 6 et Caes. b. gall. 6, 36, 1: quoniam hic cum ipse saepius locutione ‚fidem praestare' usus sit, velut b. gall. 5, 45, eo loco, ubi futuro opus erat, ad aliud verbum declinans

scripsit *fidem servaturum.* Ceterum e larga copia exemplorum ab Neuio prolatorum id quoque cognoscitur, participia futuri et verbi simplicis ‚stare' et compositorum omnia fere argentea demum aetate maximeque ab iuris consultis esse usurpata, ita ut illud ‚praestaturum' epistularum Ciceronis vel antiquissimum sit illius generis.

B. De usitatorum vocabulorum insolenti significatione.

1. De substantivis.

Substantivum latro, quod apud Caesarem, Ciceronem, ceteros ‚praedonem' significat (Caes. b. g. 3, 17 *multitudo perditorum hominum latronumque,* ibid. 7, 38 *Gallus quidam Romanos latrones vocat,* b. civ. 3, 109 *ut potius privato et latronum quam regio consilio susceptum bellum videretur,* ibid. 110 *ex praedonibus latronibusque collecti),* mihi videtur b. Hisp. 1, 4. 40, 5 priscam mercennarii significationem, qua Plautus illo usus est, retinuisse. Nam 1, 4 eidem vocantur ‚latrones' qui 1, 1 *praesidia,* 1, 3 *auxilia,* 1, 2 *manus partim precibus partim vi comparata:* atque in c. 40, 5 latrones sunt intellegendi, qui 35, 3 *bene magna manus Lusitanorum,* 40, 2. 7 simpliciter *Lusitani* nominantur.

Error primaria significatione ‚das Umherirren' b. Af. 7, 4. 11, 1 iam a Froelichio p. 57 adnotatum est maxime poëtarum esse: usus tamen est Cicero quoque, sed in eo libro, in quo, ut supra pg. 379 monui, haud raro ab usitato dicendi genere orationem removit, de re publ. 2, 4: *error ac dissipatio civium.*

Proclivitas idem significans quod ‚Abhang', qualitate rei pro re ipsa posita, apud neminem invenitur nisi apud auctorem b. Afr. 37, 3: parvula proclivitas.

Vocabulo pretium eandem sententiam indidisse auctorem b. Afr. quam praemio probatur loco b. Afr. 40, 5: ‚pretio pollicitationibusque adducti' collato cum b. Afr. 35, 2: ‚praemiis pollicitationibusque propositis' et cum Caes. b. gall. 3, 18. 26. 7, 1; b. civ. 1, 56: *pollicitationibus ac praemiis;* b. gall. 7, 31 *dona pollicitationesque:* quae sententia Ciceronis aetate sola in formula ‚operae pretium est' et a iurisconsultis (de ea pecunia, qua iudices corrumpuntur) utpote a maioribus tradita videtur esse retenta. Nam praecipue comicis haec erat in usum recepta (cf. Plaut. Men. 987. Capt. 937.

Trin. 237. Terent. Andr. 39. 610); porro probata Catoni Iord. 39, 3 *Maiores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis*, et Quadrigario ap. Gell. 3, 8, 8: *pretio aut praemio aut dolis pugnare;* denique in Cornificii loco 3, 3 *nec prece nec pretio . . . a recta via deduci* primum obsoletus singularis ‚prece', quem comici saepe, Cicero in libris tantummodo de inventione et in epistulis ad Att. 11, 15 usurpavit, deinde alliteratio ex prisco sermone id repetitum esse docent. Iam cum et in hoc potissimum esse adhibitum ‚pretium' praemii significatione videamus et inter notiones per se simillimas facile commutationem fieri posse concedendum sit, exemplo b. Afr. eo adducimur, ut in cotidiano tunc sermone commutationem illam valuisse putemus.

Insolentem ‚legionis' prae se fert sententiam vocabulum aquilae b. Hisp. 30, 1 (erat acies tredecim aquilis constituta), cuius usus vix alterum exemplum idque prorsus simile inveneris: nam Tacitus, apud quem solum idem legi videtur, quamquam e locis, quos Ruperti ad hist. 2, 29 affert, ad nostram rem pertinent tantummodo hist. 3, 52 et ann. 1, 37, ubi non ‚legionum' genetivus additus est, primum numquam cum certo numero coniunxit, deinde semper addidit ‚signaque', qua in re, cum ne Caesar quidem vocabulo signa ‚cohortes' significare veritus sit (b. civ. 2, 39. cf. Froehl. p. 57), excusatio quaedam inest. Lucani vero loco poëtico colore insigni 5, 238:

Victrices aquilas alium laturus in orbem

cum praesertim signa ‚ferantur' in hostem, non legiones, nihil probatur.

Iam auctori b. H. illo loco ne erat quidem, cur ab humilitate amovere orationem atque efferre studeret, sed in re tritissima, quomodo utraque acies fuerit constituta, versatur. Quamobrem haud scio an sit sumendum apud gregarios milites metonymicum verbi ‚aquilae' pro legione usum fuisse crebriorem quam ex scriptoribus possit colligi.

Locum b. Hisp. 5, 6 ‚hic alternis non solum morti mortem exaggerabant, sed tumulos tumulis exaequabant' — cum Eichertus in lexico Caesariano s. v. exaggerare falso interpretetur ‚Tod auf Tod häufen', recte Naegelsbachius (Lat. Stilistik [6] p. 49) intellegendum esse ‚corpus' sive ‚cadaver' simulque hunc usum vulgaris esse sermonis censuit, etsi ipse

Cicero or. pro Mil. 32, 86 concinnitatis orationis efficiendae studio inductus semel morti eandem significationem tribuit. Qua re simul monemur, ne si quando alicuius usus permulta e parum elegantibus scriptoribus collecta sint exempla, ideo quod unum alterumve apud ipsum Ciceronem legatur, deterreamur quo minus vulgari illum tribuamus sermoni.

Mane, quo optimi scriptores adverbii utuntur loco, auctor b. Afr. (cf. Neue I² 231) substantivi loco posuit idque secundum rationem et prisci et cotidiani generis dicendi. Nam cum b. Afr. 42, 3 a mane diei, ibid. 61, 1 ‚a mane usque ad horam X die' (Caes. b. civ. 1, 81 a prima luce) comparandi sunt Plautus (Poen. 3, 37 *a mane*, et saepius), Varro de re r. 3, 9, 10 *a mane et vespere,* Lucilius inc. 15 M. *a mane ad noctem,* Cicero Fam. 9, 26, 3, Suet. Calig. 18 *a mane usque ad vesperum*, Oribasius 20, 4 Hag. *a mane usque ad meridie* (sic): dein cum b. Afr. 62, 5 cum primo mane Varro de l. l. 9, 44, 73, Colum. 12, 1, 3, Mart. 3, 36, 3 *primo mane*, Colum. 11, 1, 14 *a primo mane,* Lucilius 3, 56 M. *cum mane,* Terentius Heaut. 67. 529 *tam mane,* Dares Phrygius 21, 1 *mane facto.* Postea pro *a mane* in usum plebis venisse *de mane* evincitur exemplis Augustini (confess. 11, 23, 20), Italae (Ruth. 2, 7: *de mane usque nunc;* cf. Roensch 475) et linguarum romanicarum (ital. dimani, domani fr. demain; cf. Diez II³ 473; id. Etymol. Wörterbuch I 261.

Subiungere mihi liceat hoc loco locutionem alienam illam quidem ab huius capitis proposito, sed rei similitudine cum antecedenti arte coniunctam: cum prima luce b. Afr. 95, 2, quam pro simplici ‚prima luce' (Caes. b. gall. 1, 22. 27. 2, 11. 5, 23 etc. b. civ. 2, 38) posuerunt familiarem scilicet sermonem secuti Plautus Cist. 2, 1, 49, Terentius Ad. 841 *cum primo luci,* Atta 8 Ribb. *cum primo lucid,* Cicero ad Att. 4, 3 *cum prima luce;* id. Off. 3, 31, 112.

Eidem denique generi adsignare non dubito locutionem luminibus accensis b. Afr. 56, 4. 89, 4, quam optime interpretatur Censorinus de die nat. 24: *post id sequitur tempus, quod dicimus luminibus accensis, antiqui prima face dicebant.* Exempla suppeditant Horatius in sermonibus 2, 7, 33 *sub lumina prima* et Tertullianus apol. 39: *post lumina;* cf. Oehleri adnotat.

Obscuratio a Cicerone, Quintiliano, aliis ita plerumque de tenebris usurpatur, ut addatur solis: omisit tamen genetivum auctor b. Hisp. 6, 5 (ita illa obscuratione) quod haud scio an nullo alterius scriptoris exemplo comprobari possit.

2. De adiectivis.

Adiectivum minutus etiamsi ab eleganti scribendi genere non abest, velut Cicero Acad. post. 38 dixit *minuta opuscula;* id. pr. Cluent. 64 *minutae res;* id. Fin. 1, 18 *minuti et angusti;* id. de divin. 1, 30; Cato maior. 23, 85; id. Brut. 73; id. de or. 2, 38: tamen magis videtur esse plebeium. Nam primum quidem, sicuti Cicero fere ita transfert, ut contemptionem quandam exprimi velit, ita auctores b. Afr. et Hisp. eadem significatione qua ‚parvus' vel potius ‚parvulus' usos esse intellegitur coll. b. Afr. 29, 1. 51, 7; b. Hisp. 5, 4 (minuta proelia) cum Caes. b. gall. 2, 30. 5, 50 *parvula proelia;* deinde aliorum doceat scriptorum vulgarium similitudo, velut Terentii Andr. 369 et Varr. de re r. 3, 17, 6; Anthim. de obs. cib. 44 *pisciculi minuti,* Varr. ibid. 2, 5, 14 *bestiolae m.,* id. sat. 165, 6 *pisces m.* (cf. Stuenkel p. 54), Ciceronis in epistulis (ad Att. 16, 1, 3) *navigia m.,* ibid. 5, 9, 1 *actuaria m.,* Columellae 12, 54 *m. rapi,* ibid. 8, 5 *m. aves,* Suetonii Aug. 82 *iter m.,* Vegetii 2, 49 *m. gallulae.* Lorenzium in praef. ad Plaut. Pseud. p. 62 cum animi quadam voluptate video idem iudicium hoc de vocabulo ferentem.

Eodem loco rectissime ille grandis pro ‚magnus' in cotidiano sermone usitatum fuisse censet: etenim cum in linguis romanicis paucissima verbi ‚magnus' vestigia reperiantur, iam in sermone Romanorum vulgari paulatim evanuisse consentaneum est. Sed etiamsi ego quidem Ciceronis iam temporibus ‚grandis' in plebis sermone praevaluisse persuasum habeo, tamen id e scriptis illius aetatis haud facile demonstrari potest.

Quare cum in hanc quaestionem variasque adiectivi significationes nondum accuratius inquisierim neque satis luculenta exempla proferre possim, satis habeo commemorasse cum illis saltem notionibus, quibuscum auctor b. Afr., voc. ‚grandis', optimos scriptores non coniunxisse. Scripsit enim auct. b. Afr. 24, 1. 42, 2. 76, 2. 79, 2 grande praesidium, 18, 1 peditatus satis grandis, 34, 2 grandis familia, 48, 1

‚levis armaturae grandis numerus'; contra Caesar b. g. 6, 36 *(magnus) maximus equitatus*, id. ibid. 3, 17; 7, 57, id. b. civ. 3, 103 *magnae copiae*, Hirt. b. Al. 51 *magna auxilia*, Caes. b. gall. 1, 3 *magnus numerus*, Cic. Verr. 2, 2, 72; similiter Caes. b. civ. 3, 10 *aeris magno pondere*, b. gall. 2, 29. 7, 22 *saxa magni ponderis; argenti magnum pondus.* — Sed auctorem b. Afr. imitatus sive Pompeius Trogus sive Iustinus 41, 4 *grandem exercitum* dixit.

Iam ad alius cuiusdam linguarum romanicarum usus primordia ex latino sermone plebeio repetenda accedam. Nam quod b. Hisp. 16, 2 legitur: copiae totae pro ‚copiae omnes', talis pluralis non plus duo vel tria exempla ex cunctis illius aetatis scriptoribus proferri possunt; alterum Caesaris b. civ. 3, 44 *totis copiis*, alterum Hirtii b. Al. 76, 1 *totae copiae*. In prisca latinitate semel apud Plautum invenitur: Mil. 213 *totis horis* (cf. Brix. ad h. l.), similia passim postea apud poëtas, Vergilium, Propertium, Iuvenalem 8, 255:

pro totis legionibus hi tamen et pro
Omnibus auxiliis,

Statium; in prosa apud Senecam epist. 58, 6 *totis saltibus dissipantem*, saepe ap. Apuleium mag. 67 *totis viribus*, met. 9, 1 *totis pedibus*, ibid. 10, 33 *toti iudices* 3, 21, *totis alis*, 3, 24 *toti digiti*, Oribas. 2, 14. Hag., Anthim. de obs. cib. (ed. alt. Rose 1877) 14; cf. Roensch It. 338.

Iam cum adiectivum omnis in linguis romanicis paene perierit et adiectivo ‚totus' cesserit (Diez II³ 454), unusquisque necesse est adducatur ad eam sententiam, ut in plebeio quoque Romanorum sermone adi. ‚omnis' mature evanescere coepisse statuat, neque veri est dissimile, et poëtas modo commemoratos qui ‚totus' pro ‚omnis' posuerunt, sermonem vulgarem in suum convertisse usum et vel Caesari paulo celerius scribenti illud castrensem fortasse consuetudinem secuto excidisse.

De locutione certum est b. Afr. 44, 4 (certum est vobis vitam et pecuniam donare) prisci sermonis propria cf. Acta p. 171 sq.

Notus et incertus activa significatione (notus provinciae b. Hisp. 3, 3; incertus locorum b. Afr. 7, 3. 21, 3. 28, 1) utrumque apud poëtas maxime legitur, illud ap. Hor. Od. 2, 2, 6, hoc ap. Ovid. Trist. 3, 3, 4 et inter prosae scriptores

ap. Liv. 4, 23. 57, saepe ap. Tacitum. Sed cum Cicero in epistulis (fam. 5, 12, 7), Nepos Ages. 8, 1, Phaedr. fab. 1, 11, 2 *ignotus* ipsum quoque non ad res retulerint, sed ad homines, qui aliquid non nossent, similique ratione ab adiectivo ,incertus' enuntiata interrogativa pendeant apud Terentium Hec. 450, Cicer. ad Att. 1, 9, 1, Sallust. Iug. 67, 1. 101, 2, haud ita difficile est divinari, in quonam litterarum genere ille usus maxime patuerit.

Excellentia loca quis Ciceronianae aetatis scriptor dixerit praeter auctorem b. Hisp. 8, 4 et 6. 24, 4. 28, 4, Nipperdeius prol. 25 se nescire profitetur. Et recte id quidem: in argentea tamen latinitate hoc fuisse non inauditum docet Vellei exemplum 2, 107 *unus e barbaris corpore excellens*, Apulei de deo Socr. 8 *Olympi vertex excellentissimus*, aliorum (Hildebrand ad Apul. l. l.), e quibus eligo unum Macrobii nostro simillimum locum, 5, 20: *excellentissimo montis loco.*

Adiectivo contrarius ab auctore b. Hisp. 1, 5. 22, 6 vis subiecta est adversarii, his opinor primis prosae locis: postea apud Vitruvium 3. praef. 2 — id quod maxime memoratu dignum est — iam substantivi loco: *in ambitione certationis contrariorum*, et apud Phaedrum 4, 11, 17.

3. De adverbiis.

Adverbio leniter, cui apud bonos scriptores subest significatio ,sanft, gelinde', ut ap. Caes. b. gall. 2, 29 *aditus leniter acclivis*, ibid. 7, 19 *collis l. acclivis*, ibid. 7, 83 *l. declivis*, Hirt. b. Al. 11 *ventus l. flans*, auctor b. Afr. usus est eadem sententia qua Caes. b. civ. 1, 80; 2, 40 lente; Hirt. 8, 16 tarde, his quinque locis: 6, 5 leniter iter facere, 12, 2 leniter consequi, 18, 5 leniter se recipere, 41, 2 leniter accedere, 70, 2 leniter procedere. Consentiunt autem cum eo Afranius 139 Ribb. *cumbam . . . . leniter inhibent*, Horatius in epistulis 1, 7, 51:

> *cultello proprios purgantem leniter ungues* (,gemütlich'),

et Apuleius met. 1, 2 *in gradum lenem sensim proveho.* Qua de re ego non gravabor, si quis interpretationem repetet ex vulgi consuetudine, quoniam vocabula ,lentus' et ,lenis' haud

dissimilia et forma et notione a plebe confusa esse valde probabile est.

De adverbio perperam in b. Hisp. 12, 3 sententia locutionis ‚per errorem' vel ‚errore ductus' adhibito ut item ad originem plebeiam recurramus, adducimur Varronis de re r. 1, 69 et Suetonii Dom. 10 exemplis.

Intra adverbii loco pro intus positum b. Hisp. 35, 2, ut bonis scriptoribus inusitatum, ita a Vitruvio frequentatum est (2, 9, 4; 5, 12, 3; saepius); ceteris locis fere omnibus apparet ad concinnitatem cum ‚extra' efficiendam sic esse usurpatum, ut ap. Hor. Ep. 2, 1, 31:

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri;

Petron. 22, 2 *intra forisque;* Colum. 8, 15, 2 *extra intraque;* Plin. n. h. 6, 32, 38 *extra intra;* Cels. 7, 15 *Pars quae intra, longior esse debet quam quae extra;* Pompon. Mela prooem. 2 *intra extraque;* contra Caes. b. civ. 3, 69 *extra et intus.* Namque, extra' optimi scriptores adverbii vice utuntur, ideo opinor quod adverbium simile, quale erat ‚intus', non praesto erat neque ita adamatum erat longius illud ‚extrinsecus'.

4. De verbis.

Multis exemplis cum Woelfflinus in Pilolol. vol. XXXIV p. 151 in plebeio sermone verbum portare antepositum esse verbo ferre demonstraverit, ego satis habeo et quae ex b. Afr. et Hisp. huc pertinent, commemoravisse et pro aliis quoque verbis in vulgi ore ‚portare' usurpatum esse breviter docuisse. Auctor b. Afr. scripsit 69, 2 ‚sarcinas in acervum comportare', contra Caes. b. gall. 1, 24, 3. 7, 18 *sarcinas in unum locum conferre;* 1, 24, 4 *impedimenta in unum locum conferre;* 6, 17 *reliquas res in unum locum conferre;* Hirt. b. gall. 8, 7 *impedimenta in silvas conferre;* auctor b. Hisp. 40, 2 se reportare pro ‚se referre'. Apuleius D. S. 6 *suppetias portare* pro ‚auxilium ferre'. Pro Caesariano illo *aliquid carris devehere* in b. Afr. invenimus 21, 2 deportare in plostris; 75, 4 portare merces plostris, quemadmodum Cicero in epistulis ad Qu. Fr. 2, 10 scripsit *cum hominem portarem Neapoli ad Baias octophoro Aniciano,* cum idem Verr. 2, 5, 11 *lectica octophoro ferebatur,* qua in re ne illud quidem in epistula substantivum ‚lectica' omissum,

in oratione additum esse neglegendum est. Similiter Hor. sat. 1, 6, 76

sed puerum est ausus Romam portare,

id est ‚deducere', sed poëtica licentia, qua etiam Ovidius usus Pont. 3, 4, 1 *portantia verba salutem* dixit, id quod non optime dictum esse et Ciceronis docet exemplum (Fin. 2, 35, 118 *opem salutemque ferres)* et Arnobii 1, 68 *quid salutis portatur.* Apud hunc denique legitur etiam *beneficia portare* 1, 55, *auspicium portare* 1, 68. Verbo exponere insolens significatio ‚obiciendi' subiecta legitur b. Afr. 10, 4 (contra magnas copias — expositos) ut ap. Petronium 115 *beluis expositus,* Plin. n. h. 11, 19, 21. 15, 5, 6; Tac. hist. 3, 5; Hor. 3, 11 *exercitum hosti exponere.*

Pati in locutione ‚non possum pati quin' pro ‚facere non possum quin' b. Afr. 84, 1 cotidiano tribuendum esse sermoni a Reblingio p. 25 comprobatum est exemplis comicorum (Ter. Heaut. 761) et Senecae rhetoris propositis. Comparaverim *nequeo quin* Plaut. Mil. 1342; Ter. Hec. 388; Apul. mag. 48.

Quod alii scriptores ‚a tergo' fieri dicunt, idem auctor b. Hisp. 22, 3 verbis ex aversione expressit, vocabulo per se rarissimo, quod principali significatione hoc uno loco, termini technici numero apud iuris consultos et rhetores (semel Quintil. 9, 2, 39; Aquil. Rom. 9), translata taedii, quam linguae romanicae receperunt, apud Dictym Cretensem 4, 18 et ap. Arnobium 7, 25 reperitur. Ceterum omnino a verbo vertendi substantiva in -io exeuntia formantur admodum raro, velut *versio* non exstat, *adversio* semel ap. Tertullianum adv. Marc. 2, 13, *deversio, diversio, obversio, transversio* nusquam, *subversio* ap. unum Arnobium 1, 7. 5, 13; in usu sunt sola *conversio, inversio, reversio.*

C. De vocabulorum ab sermone urbano abhorrentium usu.

1. De vocabulis latinis.

Exordiri mihi liceat a duobus vocabulis, altero in b. Afr., altero in b. Hisp. usurpato, de quibus quomodo iudicandum sit vix quidquam relinquetur dubitationis.

Nam suppetias (b. Afr. 5, 1 supp. venire, 25 extr. s. proficisci, 39, 4. 41, 2 s. ire, 66, 3. 68, 3 s. occurrere, 75, 5 s. mittere, cf. Nipperd. prol. 18) primum nec Caesar nec

Hirtius nec Sallustius nec Livius, quorum in libris ,succurrendi' notio quam saepissime requirebatur, admiserunt; sed Plautus Epid. 5, 2, 12, Mil. 4, 2, 62, Men. 5, 7, 14 saepius omnibusque in locis verbo ,ferendi' apposito, quod cum accusativi forma ,suppetias' bene congruit, praeter unum Men. 5, 7, 31 *suppetias . . . adveni,* Varro sat. 220 R. *s. ire,* Suetonius Vesp. 4 *s. ferre,* Apuleius met. 6, 27 *s. ferre,* 3, 26 *s. exstinguere,* de deo Socr. 6 *s. portare,* de mag. 40 *ad suppetias usura,* Dares Phrygius 16. 21 *s. venire,* 19 *advenire,* Ammianus Marcellinus 14, 11, 9. 16, 4, 3 *ferre,* Arnobius adv. gentes 3, 10 *implorare,* Commodianus carm. apolog. ed. Ludwig, Lips. 1877 v. 1006 *suppetium erit;* deinde quod in Notis Tironianis Bern. 22, 40 invenimus huic substantivo appositum scripturae compendium, documento esse videtur — nam ad trita tantummodo vocabula consignanda notis opus erat — late patuisse illius verbi usum: quae res cum scriptis Romanorum, quae aetatem tulerunt, probari non possit, de sermone cogitemus cotidiano necesse est. Verbo *suppetiari,* quod quidem hoc in libro non legitur, saepe Apuleius usus est (Met. 1, 14. 4, 10. 7, 7. 8, 7. 20); apud Naevium (trag. 13 R.) et Ciceronem (Att. 14, 18, 2) ,suppetiandi' verbum non habet nisi coniecturae auctoritatem.

Item vocabulum grumus = tumulus b. Hisp. 8, 6. 24, 3 coll. Nipperd. p. 25 dictum esse e vulgi consuetudine certum est, quippe quod inveniatur apud nullum bonum scriptorem, sed semel apud Accium tragicum 506 Ribb., apud Vitruvium 2, 1, 5. 8, 3, 2. 3 et in inscriptione sepulcrali (C. I. L. I 1027: *hospes resiste et hoc ad grumum ad laevam aspice;* Ambros. Ep. 82 sec. Roensch It. 89). *Grumulus* apud Apuleium extat Met. 4, 10; de grumo in lingua Italica servato disputavit Schuchardtius II p. 109. Cf. Rebling p. 11, Hertz, vindiciae Gellianae alt. p. 40, adnot.

Pote (b. Afr. 54, 4. 5 quantum pote) plane ad familiare dicendi genus aspirare bene demonstravit Reblingius p. 6, in disserendo ab inscriptione Pompeiana Corp. I. L. IV Nr. 1895 profectus; cetera quoque exempla (cf. Neuii doctr. formar. lat. II^2 p. 98. 601), quae sunt Plauti, Terenti, Afranii, Varronis, Catulli, Properti, Petronii, Persii, Martialis, Apulei, idem docent. Quin immo apud ipsum Ciceronem similia ex-

tant, de quibus cum disceptetur, paulo accuratius in ea inquirendum erit.

Ac de uno quidem loco Bruti 46, 172, ubi aniculae cuiusdam Atticae verba latine Cicero reddit: *hospes, non pote minoris,* constare inter omnes video; sed de loco epistularum ad Att. 4, 13, 2, qui ad b. Afr. locum quam proxime accedit, alii aliter senserunt. Codex enim Mediceus hanc lectionem praebet: *rescribas ad me quantum pote. Valde sum ὀξύπ(ει)νος;* Oxon. *Ψ potes.*

Bosius unum ex suis secutus codicibus scripsit ‚pot' est'; in edit. princ. Rom. est ‚potes', in editione Iensoniana, Ascensiana, Cratandrina (Iac ap. Wesenbergium) ‚potes et vales. Sum etc.' Orellius recepit ‚pot' est', Wesenbergius ‚potes'; Antonius (Studien zur lat. Gramm. Erfurdt. 1873 p. 156) dubitat, utrum ‚potes' an ‚potest' recipi debeat: ego alio comparato epistularum loco scribendum esse censeo ‚pote'. Nam Att. 13, 38, 1 item cod. Med. exhibet pote: *hoc quidquam pote impurius?* Oxonienses et ed. Rom. ‚potest', edd. Iac ‚potest esse'; atque harum Wesenbergius probavit lectionem, quamquam in priore loco 4, 13 cum exhibeant ‚quantum potes et vales' interpolationis vestigia manifesta prae se ferunt. Nonne in hoc quoque loco interpolationem, immo gradus eius singulos vel manibus tenemus? Nempe erat in archetypo in utroque loco ‚pote'; Oxoniensis librarius et editor ed. Rom. ratione sententiarum habita priore loco correxerunt ‚potes', hoc ‚potest', editores vero Iac illo, cum ‚potest' minus quadraret, paulo violentius ‚potes et vales', hoc ne aliquid deesset, ‚potest esse'.

Neque omissam copulam offensionem praebere multa exempla probant apud Neuium l. l. p. 601 et ipsius b. Afr. locus. Iam vero totam locutionem ‚quantum pote', cui eadem inest sententia qua apud Caesarem gall. 1, 37, Hirtium 8, 11. 29 *quam celerrime potest,* gall. 1, 40. 4, 21. 7, 11, civ. 1, 21. 2, 20. 3, 30 *quam primum* legimus, tribuendam esse cotidiano sermoni intellegitur e conlatis duobus b. Afr. locis cum Ciceroniano ad Att. 4, 13 et Afraniano 327 R.

In Hortinos iam quantum pote explodam hominem
ut vilicetur

(quo et ipso codices variant inter ‚potes' et ‚potest', sed ‚pote' versus ratione requiritur) et comparatis Plautino et Terentiano

quantum potest, quod idem valet. Vide Plaut. Most. 758, Trin. 765 et plura exempla collecta a Brixio ad Men. 432, Terent. Eun. 377. 836, Phorm. 674. 897, Ad. 350. 700. 743. 909.

Quod pro eo, quod Caesari placuit ‚inopinans', auctor b. Afr. 7, 5. 66, 2 itemque Hirtius b. Alex. 63, 5. 73, 2. 75, 1 scripserunt neque opinans, Nipperdeius p. 27 hoc praeter illos locos legere non meminisse se dicit, nisi in subditiciis Bruti ad Ciceronem epistulis 1, 4, 4.; b. Hisp. scriptorem semper posuisse quod usu receptum erat nec opinans 2, 2. 15, 2. 16, 4. Sed ne hoc quidem satis elegans esse docent exempla, quorum nullum ex Caesare, nullum ex optimis Ciceronis habemus scriptis, sed ex eius epistulis Fam. 15, 4, ex Terentio Heaut. 189, ex fabula palliata incerta 44 Ribb., ex Lucretio 3, 972, post in illis litterulis quas Sulpicia versibus conscripsit ad Cerinthum apud Tibull. 4, 9, 4 M.

Satagere b. Afr. 78, 7 primum notandum est propter contractam ex ‚satis' et ‚agere' formam, quippe quam ante huius scriptoris aetatem invenias tantummodo apud comicos (Plaut. Asin. 2, 4, 34, qui idem Bacch. 4, 3, 23 *satagitare;* Terent. Heaut. 225), post apud Petronium 58 et apud Quintilianum 6, 3, 54, qui facete Afrum de oratore Mallio Sura dixisse, eum non agere, sed sat agere narrat, in inscriptione sepulcrali apud Wilmans exempla inscr. Nr. 596, apud Commodianum carm. apol. 604. 1009. Vulgatae exempla vide ap. Roensch It. 517. Deinde in sententia quae subest ‚laborandi', quo ipso vocabulo usi sunt Caes. gall. 1, 52. 4, 26. 7, 13. 67. 70. 85. 86, civ. 1, 45. 2, 6. 3, 64, Hirt. b. Alex. 1, 21, auctor b. Afr. 5, confabulantium inter se morem agnoscere neque vetamur Quintilianeo loco, cum non eadem sit facete dictorum et gravis historiarum generis ratio, et confirmatur illa opinio locutionis satis agere, cui et ipsi ‚laborandi' inest vis, usu. Est enim usurpata a Plauto Merc. 2, 1, 4, a Catone p. 35, 13 Iord., semel a Cicerone in epistulis ad Att. 4, 15, 9: *pugnatur acriter, agitur tamen satis,* saepius a Gellio 1, 17. 3, 8, 1. 9, 11, 4. 19, 1, 3, a Tertulliano ad uxor. 1, 1, quibus exemplis nisus equidem ‚satagere' et ‚satis agere' illa significatione ex prisca sumptum latinitate Ciceroniana aetate in sermocinando valuisse persuasum habeo.

2. De vocabulis graecis.

Cum homines Romani elegantiore imbuti doctrina, etsi in cotidiani sermonis licentia Graeca minime evitabant, in scribendo tamen non modo non iis notionibus, quarum propria extabant in lingua latina vocabula, Graeca adhibere vererentur, sed etiam deficiente patrio sermone quam parcissime illis uterentur, si quos de plebe homines, cum ad scribendum accederent, talia in suum usum convertisse deprendamus, non est quod miremur; cf. Rebling. p. 20. Neque ego ne temeritatis arguar metuo, si vocabula graeca, quibus optimi scriptores abstinuerunt, cum graecis responderent idem significantia vocabula probe latina, familiari potius assignavero dicendi generi.

Froehlichius num recte iudicaverit cum diceret p. 24: ‚Zudem ist die Zahl der griechischen Wörter im bell. Afr. nicht so gross und sind es fast durchgehends solche, die sich teils schon zu Caesars, teils in der darauffolgenden augusteischen Periode als termini technici in die lateinische Sprache eingebürgert hatten‘, equidem dubito. Affert autem tantummodo ‚hippotoxota, epibata, hibrida, catascopus‘. Sane hibrida b. Afr. 19, 4 et proboscis (b. Afr. 84 ter) illo referre nemo gravabitur. Iam de hippotoxota b. Afr. 19, 6, quod idem legimus apud ipsum Caesarem bell. civ. 3, 4 cum alia exempla non habeam, rem in medio relinquo: quamquam satis miror quod Caesar illos non dicere maluerit ‚equites sagittarios‘ Liv. 37, 40, Curt. 5, 4, Tac. ann. 2, 16 (*pedites sagittarii* commemorantur a Vegetio 1, 4. 1, 20. 3, 6). Sed ad alia. Maxima Graecorum vocabulorum quae apud scriptores b. Afr. et b. Hisp. inveniuntur pars ad res maritimas spectat, quod non casu factum esse intelleget, cui ea, quae nuper Saalfeldius (Griechische Lehnwörter im Lateinischen. Berlin 1877 Berggold) p. 15 et ibid. p. 8 adnot. 25, 1 disputavit, scilicet in re navali Graecis usos esse magistris Romanos, probata erunt. Velut auctor b. Hisp. 40, 7 pro ‚mare‘ scripsit pelagus, quod vocabulum in prosa admodum rarum notavit olim Nipperdeius p. 25, Reblingius p. 20 recte vulgari tribuit dicendi generi. Nam cum nihil attineat exempla illorum laudare, qui post Augustum scripserunt, veluti Pomponii Melae, multo plus valet, quod veterum unus fere Vi-

truvius saepius eo vocabulo usus esse videtur: 2, 8, 14. 5, 12, 3. 8, 2, 2. Ceterum memorabile est, inter notas Tironianas Bernenses quoque ‚pelagus' inveniri 73, 3, itemque *pelagicus* 73, 4; *pelagius* iam Varro R. R. 3, 3, 10, Publilius Syrus 12 R. scripserunt. Postremo cum sint cognomina *Pelagia* (Wilmanns Ex. inscript. 305) et *Pelaginius* (1832), posterioribus temporibus late patuisse illum usum statuendum esse videtur.

Pro ‚navigio speculatorio' (Caes. gall. 4, 26) auctor b. Afr. 26, 3 usurpavit catascopus, quod vocabulum legimus, quantum ego sciam, tantummodo apud Isidorum (Orig. 19, 1 *scapha quae κατάσκοπος navigium est, quod latine speculatorium dicitur)* et in Not. Tir. Bern. 60, 36; Gellius 10, 25, 5 se in historiis veteribus legisse *catascopium* testatur.

Mea quidem sententia ex classiariorum sumpsit militum usu et hoc et alia, de quibus iam disputabo, vocabula Graeca, cum boni scriptores consulto id evitarent; nam Hirtius scripsit b. Alex. 47: *capit ex eo proelio penterem unam, triremes duas, dicrotas octo*, quamquam propter ‚penterem' et ‚dicrotas' pronum erat scribere ‚trieres'. Et re vera trieris navis legitur b. Afr. 44, 2 (qui locus solus Neuio I² 181 notus est), cuius usus ego exempla non habeo nisi haec: Wilm. Exempla inscr. 1501 a, 36. 1501 b, 36 — in monumento circiter anno 200 post Christum posito, de quo quid iudicandum sit inde intellegitur, quod idem horribilem exhibet vocem *quadrieris* — et Not. Tir. Bern. 60, 40. Apud Cornel. Nep. Alc. 4, 3 utrum legendum sit *trierem* an *triremem* dubitatur; cf. Lupus p. 214. Ex iisdem notis Tir. 60, 42 repetendum est exemplum vocabuli penteris (b. Afr. 62, 5), quod etsi ego commotus illo b. Alex. loco supra commemorato paulo elegantius fortasse atque usitatius fuisse concedo, tamen si verum quaeris, a ‚trieris' ratione non ita alienum est: neque de b. Al. dicrota pro ‚biremi' (Caes. civ. 3, 40, Hirtius b. Al. 16) aliter censuerim, cum simile *dicrotum* solis in Ciceronis legatur epistulis ad Att. 5, 11, 4. 16, 4 fin. Atque epibata (b. Afr. 20, 1. 62, 1. 63, 4 bis, b. Alex. 11) pro classiariis (Caes. civ. 3, 100, Hirt. Al. 12. 20. 21) certe Vitruvii 2, 8, 14 auctoritate parum commendatur.

Pyra pro rogo cum fere a poëtis adhibeatur, prosae urbanae exempla desint, miro quodam consensu et auctor b.

Afr. 91, 3 et auct. b. Hisp. 33, 4. 5 et Vitruvius 2, 9, 15. 7, 1, 9 posuerunt: quod nos, ut saepe alias, ad eam coniecturam ducit, ut talia vocabula in vulgari maxime sermone viguisse putemus.

Pars II.

De syntaxi.

Cum et Froehlichii libellus maxime in syntaxi illustranda auctoris b. Afr. versetur et Draegeri in libro, qui inscribitur ‚Historische Syntax der lateinischen Sprache', multa iam praeoccupata sint, non habeo cur hanc orationis partem plane excutere studeam, sed ea potissimum erunt delibanda, quae ad huius commentationis propositum proxime accedunt. Quare non de omnibus pariter orationis partibus copiose disseretur, sed aliis aut prorsus omissis aut breviter tractatis in aliis diutius disputatio versabitur.

A. De orationis partium singularum usu.

1. De adiectivo.

a. De adiectivo substantivi loco posito.

Auctor b. Hisp. cum 3, 5 scriberet: ‚quae vis tempestatis ita obscurabat, ut vix proximum agnoscere possent', sive ad personae rationem (= proximos homines) sive ad rei (= proxima scil. loca) refers, ab optimorum scriptorum recessit consuetudine singulari vim impertiens substantivi; neque enim inter exempla, quae Draeger I 39 et 42 collegit, adi. ‚proximum' invenies, nec mihi sunt in promptu idonea. Scilicet qui praeter auctorem belli H. illum singularem substantivi loco posuerunt, cum praepositionibus coniunxerunt velut Plautus Aulul. 2, 4, 1 *e proximo;* id. Rud. 2, 3, 73 *de proximo;* id. Mil. 2, 3, 16 *in proximum;* Terent. Hecyr. 341 *in proximo;* Cicero filius in epistula ad Tironem 16, 21, 4 *in proximo*, et Arnobius adv. gent. 6, 4 *de proximo.*

Vigiles pro substantivo auct. b. Hisp. 3, 7. 35, 4 et Hirtius b. gall. 8, 35 usurpaverunt, Caesar nusquam, Cicero semel (Verr. 2, 4, 43 *Clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur*), Liv. 44, 33, 8. Inde ab Augusti temporibus

proprie vigiles dicuntur cohortes septem nocturnorum vigilum militarem in modum Romae constitutae. Sed quia eos, qui in bello castrisque vigilabant, cum Caesar aliique scriptores vocarent ‚*vigilias, custodias, excubias*‘, auct. b. Hisp. *vigiles* nominavit, in ea re fortasse gregariorum militum usum secutus esse putandus est.

Atque eodem dixerim debere referri illud vocabulum, in quo Nipperdeius prol. 25 iure offenditur, loricatus (b. Hisp. 4, 2 ‚loricatos viros fortes cum equitatu ante praemisit‘; 13, 5 ‚loricatos missos facere‘; 20, 2 ‚loricatus unus ex legione vernacula transfugit‘ et 20, 4 ‚centuriones loricati octo ad Caesarem transfugerunt‘), quamquam alia exempla proferre non possum; nam locus edicti ad equites ap. Wilm. Exempl. inscript. 1519 v. 33 a nostra ratione alienus est.

Certius poterit iudicium pronuntiari de adiectivo compar, cui in b. Hisp. 23, 5 ‚ita cum eius compar proelium facere coepisset‘ eadem sententia subest, quae substantivo ‚commilito‘; eundem enim usum deprendimus apud Plautum Pseud. 1009 Lor.

Primum omnium iam hunc comparem metuo meum
Ne deserat med atque ad hostis transeat,

et in edicto illo, quod modo commemoravi, legimus v. 15 sq. *Omnia mihi pro vobis ipse dixit, quod cohors abest .... quod ante annum tertium cohortem et quaternos ex centuriis in supplementum comparum Tertianorum dedistis.* Ac mihi quidem tria haec exempla, unum ex prisca latinitate, alterum ex vulgari Augusteae aetatis scriptore, tertium ex inscriptione militari sumptum, ‚compar‘ pro commilitone ex usu castrensi ac plebeio ab auctore b. Hisp. ascitum esse comprobare videntur.

b. De comparatione ac gradatione.

α. De comparatione.

Cum in multis vocabulis, ut supra p. 370 sq. demonstravi, accidit, ut simplicia vulgi consuetudine usuque trita aut derivatione aut compositione corroborarentur, tum comparativum et superlativum sensim propriam vim amisisse is, qui per omnes latinae linguae aetates eorum rationem persequetur, facile intelleget.

Ac *superlativi* quidem vim valde imminutam et obscu-

ratam fuisse ut uno exemplo doceam, huc spectat, quod auctor b. Afr. 56, 3 coniunxit comparativum cum superlativo: ‚inlustriores notissimique', aeque atque Arnobius adv. gent. 1, 16 *ditiores et locupletissimi;* id. 2, 11 *aut vos plurimum aut nos minus.* Cf. ibid. 2, 51 *uter magis videtur dignissimus;* 1, 57 *non simillimum veri est . . quam;* 7, 30 *plurimum . . . quam;* Tertull. Apol. 23 *magis proxima;* id. de idol. 11 *magis proximum.*

Tum quam sit *comparativi* vis infracta, inde sumendum est, quod ei additur ‚magis', ut b. Afr. 48, 3 ‚et exspectatione copiarum regiarum exercitus magis suspensiore animo ante adventum Iubae commovebatur'; ibid. 54, 5 ‚magis in seditione ... quam pudoris modestiaeque fueritis studiosiores'. Qua de re cum Froehlichius p. 18 iudicet: ‚es findet sich nicht leicht in guter Prosa ein magis beim Comparativ', lenior est neque ego illud vulgari sermoni tribuere dubito. Nam qui eadem abundantia delectabantur, primum sunt comici: Plautus Amph. 1, 1, 145 *magis maiorem;* Aulul. 3, 2, 8; Men. 80 *magis facilius* (Schmilinsky p. 17); Terent. Hec. 738 *magis cautius* (cf. Holtze II 206); deinde aetate Augustea Vitruvius 7, 18, 4 *quo magis ex meliore vino faex fuerit* (contra Plinius 35, 42, qui Detlefsenio iudice illo loco Vitruvio usus est: *si ex bono vino faex fuerit*); postea Valerius Maximus 3, 7, 1 *magis locupletior;* Apuleius met. 9, 36 *magis irritatiores;* 11, 10 *magis aptior;* Commodianus v. 478 *magis plenius;* Oribasius 20, 1 Hag. *magis senior;* epistul. Anthimi 43 *magis durior.* Cf. Roensch It. 279.

Similiter a plebe comparativo adiungebatur *plus:* velut a Commod. v. 5 *plus levior* (cf. Ludwigii ad h. v. adnotationem et N. Ott in Iahn. ann. 1875 p. 788 sqq.); ab Oribasio 1, 1 *plus humidior;* 17, 11 *calidior plus;* 7, 30 *plus superius.* Neque veri dissimile hoc ipsum ‚plus' in cotidiano sermone iam Ciceronis aetate et Augusti hic illic verbi ‚magis' locum obtinuisse, qua re concessa facilius intellegitur, quomodo in lingua italica, francogallica, provinciali (nam Hispani retinuerunt ‚magis') ‚plus' omnia iura in comparativorum formatione sibi vindicaverit [3]). Unum extat exemplum ap. Plautum Aulul. 3, 2, 6 *plus lubens* (Schmilinsky 17), et cum

3) Francogallis ‚magis' abiit in particulam adversativam ‚mais'.

saepe legamus apud Ciceronem in epistulis ‚magis magisque' (fam. 2, 18, 2 *cotidie magis et magis;* Cic. fil. Fam. 16, 21, 2 *in dies magis magisque*), idem ille scripsit ad Att. 6, 2 *plus plusque in dies;* Nemesian. Ecl. 4, 72 *plus formosus* (Diez II³ 66), neque aliam secutus rationem Tertullianus spectac. 27 ‚*plurimum* dulcis' (frg. le plus doux).

Etiam ipse per se comparativus ita imminuitur, ut in *positivi* redeat vim: qua de re, etsi per hos commentarios adverbiorum tantum extant exempla, tamen cum quam maxime ad quaestionem nostram pertineat, pauca hoc loco disseram. Nam ut ipsi in sermone patrio eoque urbano nonnumquam comparativos ne cogitantes quidem de propria eorum significatione eadem ratione usurpamus qua positivos, velut nemo si dicit ‚öfters' comparationem cum alia re minus saepe facta institutam intellegi vult, ita dubium non est quin Romanis quoque in ipso urbano dicendi genere similia fuerint in usu: vix tamen errabimus, si certis illum finibus censebimus fuisse circumscriptum. Huius autem generis sunt: saepius, diutius, fortasse tardius.

In iis vero comparativis ac superlativis, qui a communi norma paulum recedunt, adeo sensim gradationis forma hominibus plebeis obscurata est, ut haud raro novos comparativos, novos superlativos fingerent. Hoc in numero ponenda non solum monstra illa temporibus labentis imperii Romani prognata, qualia sunt ‚postremissimus, minimissimus' (Draeger I 35), sed multis saeculis ante idem in comparativis quibusdam factum esse videmus. Cum enim adverbio ‚supra' (cf. Graecorum comparativos in — ερος exeuntes, superus, superâ) insit comparativi notio, auctor b. Hisp. scripsit 28, 4 ‚superius demonstravimus', 34, 5 ‚quos superius demonstravimus'. Neque extant huius usus meliores auctores quam Phaedrus (4, 25, 2 *dixi superius*), Gaius (1, 87. 126. 3, 194. 197. 4, 69), Pseudoplinius (Pl. Sec. quae fertur medicina ed. Rose p. 16, 10 *sicut superius praediximus*); cf. C. I. I 1055 *sum. (= summa) ollarum superius et inferius XXX.*

Eiusdem generis est *inferius*, quod invenitur, ut poëtas velut Ovidium trist. 2, 263 mittam, qui numerorum causa talia admittunt, ap. Vitruvium 9, 8, 2 *(ad anguis inferius ventris sub caudam subiectus est centaurus)*, ap. Solinum 2 med. *(inferius exsequi); anterius* ap. Tertull., Symmach.,

Ammian. (cf. Neue II² 117); *posteriores* vocantur ab Apuleio de deo Socr. 15 et a Paulo Dig. 38, 10, 10 ii, qui plerumque ‚posteri'. *Exterius* promiscue usurpatum esse in eadem re cum ‚extra' docent duo Columellae loci et inter se et cum Varronis uno comparati (Colum. 12, 43, 1 *vasa extrinsecus et intra diligenter picata;* id. 12, 44, 5 *vasa intrinsecus et exterius crasse picari;* Varr. de re r. 3, 16, 16 *vitiles fimo bubulo oblinunt intus et extra*). Pariter *interius* pro ‚intra' Faventinus 10 exhibet: *interius siccari,* et Vulg. Ezech. 40, 16: *interius portae* = *intra portam.* Cf. Roensch It. 623.

Ne ‚dexter' quidem et ‚sinister' in cotidiano sermone satis cum gravitate dici videbatur, unde ortum illud *dexterior* et *sinisterior:* ita Varr. de l. l. 9, 27, 34; de re r. 2, 5, 15; Galba ap. Cic. Fam. 10, 30, 3 *(dexterius et sinisterius cornu);* saepe Celsus, Suetonius, Inscriptiones, velut Wilm. 873, ubi quae in libello quodam anni 19 p. Chr. scripta fuerint proferuntur: *in partem sinisteriorem erectam palum.* Exempla plura suppeditabit Neue II² 104. Quam late hic usus serpere coeperit, ea re discimus, quod cum Caesar optimique scriptores dicerent ‚ultra procedere', ipse Quintilianus 5, 11, 34 *ulterius procedere* scripsit.

Ocius, quamquam positivus ‚ociter' semel legitur apud Apuleium ideoque comparativum huius locum obtinuisse consentaneum esset, tamen a prosae scriptoribus non usurpatur nisi vera comparativi sententia: nam falso Eichertus in lexico Caesariano ‚ocius' legi bell. gall. 5, 43 contendit, quippe cum et totus hic locus corruptus sit et in codicibus non extet ‚ocius', sed ‚occisum' (cf. Nipperd. adn. a. h. l.). Sed illam ‚comparationem rei secum ipsa', quam Holtzius II 206 appellat, deprendimus apud comicos (Plaut. Curc. 2, 2, 26; Rud. 3, 6, 14; Terent. Andr. 724, ubi vide Meissneri adnotationem); apud Vergilium Ecl. 7, 8; Aen. 5, 828. 8, 555. 12, 556. 681; apud Horatium in sermonibus 2, 7, 34. Similiter scripserunt *celerius* pro ‚celeriter' Vitruvius 8, 7, 12. 9, 4, 7 et Petronius 20. 140. Item *secius* pari modo adhibitum esse ac ‚secus' apparet coll. Cic. Fam. 6, 21, 2 ‚*si secus acciderit*' cum Afranio 293 Ribb. ‚*ratio talis sequius ceciderit*' et Cic. Att. 1, 19 ‚*de te secus esse dictum*' et Tac. ann. 2, 50 ‚*secus loqui*' *de aliquo* cum Sen. Benef. 6, 42 ‚*vereor ne homines de me sequius loquantur*'.

Quod vero a Diezio II³ 480 probatur Italicorum vocabulo *sezzo* e ‚sequius' orto et Francogallorum *proche* e ‚propius' iam nullam inesse sententiam comparativam, paulatim in sermone vulgari comparativum ad positivi vim omnino recessisse si existimabimus, fortasse nonnullis non videbimur hariolari. Immo si mihi longius etiam progredi licet, illam suspicor causam fuisse praeter alias satis magnam, cur peculiaris comparativi forma linguis romanicis prorsus evanesceret, nonnullis exceptis qui iam apud Romanos positivo caruerunt. Diez II³ 67.

β. De gradatione per adverbia facta.

Cum in romanicis linguis omnis fere gradatio fieri soleat adverbiis, etiam vulgo Romano, quod idem comparativi et superlativi formarum vim infregit, illam per adverbia gradationem non insolitam fuisse coniectura prona est. Atque usi sunt homines plebei saepe iis adverbiis, quae boni scriptores evitabant. Ac primum quidem quod Diezius II³ 481 in linguis romanicis crebro adverbii vim augeri ipso geminato monet (frg. *bien bien,* it. *vicin vicino*), idem in adiectivis latinis reperiri certum est. Sunt enim notissima illa Plautina *misere miser* Pseud. 11 (cf. Lorenz. ad h. l.), qua cum locutione contulerim nostratium ‚elend arm', ‚elend schlecht', *unice unicum* Bacch. 407, *laete laetus* Truc. 4, 1, 3, *firme firmus* Mil. 1006 (codd. firme fidus). Quem usum cum apud alios scriptores non inveniamus, sed in inscriptionibus (ap. Gruterum: ‚bonus bonus' pro ‚optimus', ‚malus malus' pro ‚pessimus'; cf. Roensch It. 280), apud plebem inde a Plauti temporibus valuisse necessario statuendum est.

Sed praeter adverbia ab eadem cum adiectivo stirpe derivata aliis quoque, quibus similis tantum sententia inest, utuntur ita, ut cum iis adiectivis, quae bonum quiddam aut iucundum exprimunt, eiusdem notionis adverbia iungantur, item iis adiectivis, quibus contraria sententia subest, huius generis adverbia eligantur; cf. Acta p. 133. Augetur igitur vis adiectivi tali modo per adverbium ‚bene', velut b. Hisp. 1, 2. 4, 3. 12, 4. 13, 4. 15, 6. 16, 2. 22, 6. 35, 2 et 3. 40, 2. 41, 1 b e n e m a g n u s, 34, 5. 36, 4 b e n e m u l t i, 25, 2 b e n e l o n g e (Nipp. prol. 27): quo de usu utpote vulgari cum Woelfflinus in Philol. 34, 140 copiose disseruerit, non est quod

iterum disputationem instituam. Hoc unum addiderim in linguis romanicis hic illic etiam comparativum ad gradationem usurpatum esse velut *meglio capace* (= ‚melius capax') Diez III³ 10; denique superlativo usus est Vitruvii excerptor Faventinus 5: *optime probabilis* = ‚maxime probabilis'.

Item *multum* cotidiano sermoni tribuendum esse docent Plautina exempla (Schmilinsky p. 18) aliorumque, Horatii, Frontonis (Cicero semel usus est; cf. Draeger I 110) et linguarum romanicarum usus; cf. Rebl. p. 11 sq. Diez III³ 13 sqq. Porro ut Cicero quoque *sane* admisit (nusquam tamen Caesar) — quamquam ego ne id ex familiari dicendi genere sumpserit vereor, cum saepissime apud comicos, apud ipsum frequenter in epistulis, in orationibus pro Quinct. et de leg. agr., in qua eadem illud ἅπαξ εἰρ. ‚multum' extat, postea in libris de re publ. et de legibus, quorum tamen de ratione supra disputatum est, et in Laelio inveniatur —, ita Plautus ex vulgi ore receperat *insanum* Most. 908 *insanum bonum,* Mil. 24 *insanum bene* (apud nos quoque plebs ‚wahnsinnig gut'). Plura ap. Guericke p. 54; Acta p. 134.

Vehementer quoque eiusmodi generis esse videtur; cum enim apud Caesarem cum verbis tantummodo iisque movendi coniungatur *(vehementer commotus, premi, perturbare, incitare, exterrere)*, auctor b. Hisp. scripsit 30, 2 ‚vehementer periculosus'; 38, 2 ‚vehementer saucius'. Sane ipsum Ciceronem video (Draeger I 111) ‚vehementer' cum adiectivis sociantem, sed in epistulis Fam. 13, 37. 39, semel in dialogis Off. 2, 18. Verum tamen cum auctore b. Hisp. facit Vitruvius, qui illa motionis notione neglecta 8, 3, 11 *vehementer amarus*, 2, 6, 4 *vehementer frigida* scripsit.

Oppido et perquam (Acta p. 133 sq.), quorum utroque adiectivorum vis intenditur, coniuncta deprendimus apud auct. b. Afr. 47, 5 oppido perquam pauci, quam locutionem Draeger I 76 barbaram vocat, certe admodum vulgarem esse iudicandum est: neque tamen Froehlichio assentiendum, qui p. 21 corrigi ‚oppido quam pauci' voluit, cum in Apulei met. 2, 7 *perquam sapidissimi* et Gellii 19, 13, 5 *sane perquam exercitus* eadem cognoscatur adverbiorum et imminutio et cumulatio. Ceterum de ‚oppido' et priscae et vulgaris latinitatis vocabulo copiosa est Woelfflini disputatio in Philol. 34, 152.

‚Longe' plerumque superlativis addi, ‚multo' comparativis grammatici docent; ceterum haec ratio in cotidiano sermone neglegebatur et illud cum comparativo, hoc cum superlativo sociabatur, ut ap. auct. b. Hisp. 7, 5 longe superiores, quo loco fortasse primo hic usus reperitur, postea ap. Vergil. Aen. 9, 556 *longe melior*, cui utpote poëtae plus licuit, deinde ap. Velleium 2, 74 *longe tumultuosior*, ibid. 2, 51 *longe magis prosperum*, saepe inde a Quintiliano. Contra ‚multo' cum superlativo iunctum exhibet Aquil. 5 Ribb. *multo optumus;* Pall. inc. inc. 64 *multo maximus;* Lucilius 4, 17. 30, 10 M. *optimu' multo;* 20, 9 *maximu' multo;* Cornificius 4, 44 *multo maxime;* semel Cicero de imp. Pomp. 18 *multo maxima;* saepius Quintilianus (9, 4, 72 etc.); porro in linguis romanicis ‚multo' ante superlativos poni testatur Diezius III³ 15, velut Hispan. veter. ‚per la molta novissima cosa', ital. ‚molto bellissimo'.

2. De pronominibus.

Pronomen *istic*, cuius apud comicos creberrimus est usus, rarissimus apud bonos scriptores (Varro de re r. 1, 2; Cic. pro Quinct. 57; Acad. pr. 4; de fin. 5, 26, 78; de divin. 2, 3, 5; Brut. 13. 23 saepius, utpote in sermocinandi genere (cf. Ellendtii ad 6, 23 explicationem); ad Att. 3, 12. 7, 8, 4. 14, 1; Fam. 1, 10; Pompeius ap. Cic. ad Att. 8, 12 C 3; Coelius ap. Cic. Fam. 8, 8, 10. 8, 9, 4. 10, 2 et 3. 17, 2; Horat. Epist. 1, 14, 8), auctor b. Afr. 22, 2 usurpavit in locutione istuc aetatis, quae est Plauti Mil. 618 et Terentii Heaut. 110, cum bonae latinitatis sit *id aetatis:* comparari potest *istuc negoti* Plaut. Amph. 1, 34; Trin. 88; Terent. Andr. 953; *istuc mali* Turpilius 176. Sed hoc unum est, quod si formam spectas notandum erat.

Multo magis in ea re debet disputatio versari, quod aut falso auctores b. Afr. et b. Hisp. pronominibus usi sunt aut sine causa ea cumulaverunt: quae res cum communis est vulgi omnium gentium consuetudo, tum in lingua latina commemoranda propterea, quod in romanicis linguis multo latius patet pronominum imperium. Atque etiamsi Froehlichius p. 47—52 quod ad b. Afr. attinet multa hac de re exposuit, tamen a re non abhorret et haec breviter comprehendere et

pauca, quae nondum observata sunt, praecipue e commentario de b. Hisp., addere.

Ac de priore quidem genere dicenda non multa sunt: nam quod *pronomen reflexivum* et *demonstrativum inter se commutata* sunt nonnunquam (b. Afr. 33, 2 eis pro ,sibi'; 58, 4 eum pro ,se'; b. Hisp. 22, 5 ei pro ,sibi'), offendamur necesse non est, quoniam apud optimos scriptores et apud ipsum Caesarem non ita raro illam confusionem vel potius commutationem animadvertimus (Draeger I 29); ne hoc quidem insolens est, quamquam rarius ac peius dictum ideoque apud Ciceronem in prioribus tantum orationibus et in epistulis obvium (cf. Acta p. 130 sq.), ut pronomen *reflexivum* ponatur *pro demonstrativo;* cf. b. Afr. 26, 1 ,Caesar interim, cum de suo adventu dubitatio in provincia esset'; b. Hisp. 22, 6 ,principibusque qui sibi contrarii essent, interfectis'. *Cumulatorum* tamen *pronominum* plura exempla recte mihi quidem videntur colligi posse. Atque unum praeclarum Froehlichius p. 51 affert ex b. Afr. 87, 3 ,eorum castra hi equites adorti expugnare coeperunt, ideo quod eos Caesaris partibus favisse sciebant, ut eis interfectis eorum pernicie dolorem suum ulciscerentur'. Adde b. Afr. 11, 4 ,neque eam rem eos voluisse scire, qui in praesidiis relicti sui milites fuissent, ne hi propter suorum paucitatem . . . . metu deficerent'. Tum cum Caesar semper in explicando, quomodo quid et quem ad finem factum esset, scripsisset *,hoc consilio'* vel *,eo consilio* ut' (b. gall. 1, 48. 2, 9. 5, 49; b. civ. 1, 70. 3, 29), auctor b. Afr. maluit 59, 6. 86, 2 id hoc consilio.

Belli Hisp. autem auctor nimiae studuit redundantiae pronominis demonstrativi is locis fere his: 1, 4 ,cum aliquis ex ea civitate optime meritus civis esset, aliqua ei inferebatur causa, ut eo de medio sublato ex eius pecunia latronum largitio fierit'; 10, 1 ,Arguetius ex Italia cum equitatu venit. Is signa Saguntinorum rettulit'; 20, 3 ,servus est prensus in cuniculo, quem supra demonstravimus dominum iugulasse: is vivus est combustus'; 35, 3 ,clam Philonem, qui fuisset Pompeianarum partium defensor acerrimus . . is tota Lusitania notissimus erat . . . hic clam praesidia proficiscitur'. Haec potissimum enuntiata coniungendi ratio, quae in tribus posterioribus locis conspicitur, ad comicum epistolicumque dicendi

genus aspirat, id quod comprobari puto exemplo Terentii Andr. 221:

fuit olim hinc quidem senex
Mercator: navem is fregit apud Andrum insulam

(cf. Holtze, synt. prisc. latin. I p. 335), Ciceronis ad Att. 2, 1, 1 *mihi . . venit obviam tuus puer: is mihi litteras abs te reddidit*, Catonis denique, qui ne hoc quidem abhorruit: de re r. 157 *cancer ater, is olet* (Holtze I p. 357 sq.).

Iam in linguis romanicis ‚is' et ‚hic' interiisse, contra pronomen ‚ille' ad vim articuli definiti redactum aetatem tulisse satis notum est: itaque etsi qui vere articulus dici possit in latina lingua vix ante saeculum sextum p. Chr. reperitur (Diez III³ 19: der bestimmte Artikel muss sich früh eingefunden haben: Urkunden seit dem 6. Jahrhundert bieten ‚ille' in diesem Sinne häufig genug), in sermone tamen vulgari *ille* usu praevaluisse neque ita tantummodo usurpatum esse, ut aut, cum de duabus rebus disputatio est, ad remotiorem referatur aut certe uni vocabulo maius addat momentum, necessario sumendum est. Nec profecto, si recte intellego, apud scriptores b. Afr. et b. Hisp. exempla desunt, veluti huc retulerim b. Afr. 11, 4 ‚ex eo est cognitum *Caesaris* consilium, *illum* (nimirum Caesarem) cum classe navibus onerariis . . . subsidio ire . . . voluisse'; b. Afr. 27, 2 ‚deinde in ordinem *elephantos* constituit; post *illos* (scil. elephantos) autem suam aciem instruxit'; b. Hisp. 3, 8 ‚equites . . *eruptionem* in adversariorum castra fecerunt. *Sic in illo facto* (nimirum in eruptione) etc.'; b. Hisp. 6, 4 ‚hic incidit, ut *nebula* esset *crassissima. Ita illa* obscuratione etc.' Quibuscum comparari potest Plaut. Trin. 36:

Nimioque hic pluris pauciorum gratiam
Faciunt pars hominum quam id quo prosint pluribus.
Ita vincunt illud conducibile gratiae, etc.

(‚conducibile' idem est quod ‚id quo prosint pluribus'). Cf. Schmilinsky p. 15, ubi Plautina exempla, in quibus ‚ille' fere ad articuli definiti vim traductum esse videtur, congessit tum alia tum hoc: Pers. 725 sq. *nunc est illa occasio inimicum ulcisci.*

Sed redeamus ad auctorem b. Hisp. Defendenda fortasse ratione aliqua vel excusanda sunt haec: 25, 1 ‚Insequenti die pari consuetudine, cum ad eundem locum eius praesidium

venisset, pristino illo suo utebantur instituto'; 29, 7 ,Interdum aequitas loci adversarios efflagitabat, ut tali condicione contenderent ad victoriam: neque tamen illi (scil. adversarii) a sua consuetudine discedebant'. In eis tamen verbis, quae leguntur 35, 3 ,Clam quendam Philonem illum, qui fuisset defensor acerrimus', in quibus ,quidam' et ,ille' fere contraria inter se esse videntur, ,ille qui' plane ad simplicis relativi vim revocatum esse existimari debet neque multum abest, quin cum Francogallorum *le quel* (= ille qualis) conferri possit; vulgari certe sermoni assignare nemo dubitabit. Cf. Plaut. Rud. 4, 4, 21 *illum quem [tu fano Venerio] Dudum leonem extrusisti eius vidulum hic eccillum [habet]*.

Interdum hoc quoque modo abundanter pronomen adhibetur, ut cum sive subiectum sive obiectum non uno verbo, sed tota sententia contineatur, id quasi praeoccupetur pronomine relativo aut demonstrativo, velut b. Afr. 57, 3 ,Usu venisse hoc civi Romano . . . . . . incolumi patria fortunisque omnibus Iubae barbaro oboedientem fuisse'; b. Hisp. 18, 7 ,quod difficile erat factu, ut eam turrem sine periculo quis incenderet'; 36, 2 ,Quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent'. Similiter Terent. Andr. 497

Credon' tibi hoc nunc, peperisse hanc e Pamphilo;

ibid. 675

Ego Pamphile hoc tibi pro servitio debeo
Conari manibus pedibus noctisque et dies;

ibid. 391

nam hoc haud dubium est quin Chremes
Tibi non det gnatam (cf. Spengel. ad Andr. 180);

Plaut. Men. 242

Ergo istuc quaero certum qui faciat mihi
Quei sese deicat scire.

Relinquitur ut moneam *pronomina possessiva* adeo ab auctore b. Afr. adamata esse, ut cum Caesar, cuius belli gallici librum tertium illorum potissimum usus ratione habita perlegi, per triginta capitum spatium fere duodecies illis usus sit, auctor b. Afr. per nonaginta aliquot (sunt autem eiusdem fere magnitudinis) circiter centies sexagies usurpet, quam rem a vulgari sermone minime abhorrere hac quoque

ex re intellegitur, quod etiam in linguis romanicis creberrimus est pronominum possessivorum usus.

B. De orationis partium inter se rationibus.

1. De temporibus ac modis.

Quoniam, quae in temporum et modorum genere memorabilia sunt vel certo iudicio ad vulgarem sermonem referuntur, de b. Afr. Nipperdeius (nam Froehlichius nihil novi adtulit) et de b. Hisp. Fleischer satis diligenter enarraverunt, etiam propter rei difficultatem, in qua permulta ad singulorum arbitrium revocantur, non id ago, ut hunc locum omnibus partibus absolvam, sed et, quae illi disputarunt, paucis referam et de nonnullis locis, de quibus aut cum illis dissentiam aut addendum aliquid esse putabo, plenius exponam.

Ac primum quidem auctoris b. Afr. usum in enuntiatis relativis *plusquamperfectum* pro *imperfecto* ponendi (23, 1. 31, 1. 34, 4. 43. 44, 1. 75, 3. 76, 2. 88, 3. 89, 1. 2), quamquam ne optimi quidem scriptores, ut Caesar, Cicero, plane ab eo abstinuerunt, tamen Vitruvii exemplo proposito, apud quem idem genus frequentatum est, iure Nipperdeius vulgari sermoni adscripsit. In alia vero re auctores b. Afr. et Hisp. inter se mirum in modum consentiunt uno cum Vitruvio: etenim uterque in enuntiato relativo sine ulla causa *coniunctivum* usurpavit, ille quidem iusto tempore adhibito (35, 1 ‚Scipio quique cum eo essent'; 77, 1 ‚Thabenenses interim, qui sub dicione et potestate Iubae esse consuessent' coll. Vitr. 9 praef. 1 *nobilibus athletis qui Olympia vicissent*), hic temporum permutandorum licentia, qua auctor b. Afr. in *indicativo* utebatur, ad coniunctivum quoque relata: itaque coniunctivus plusqpf. pro indicativo plusq. positus est b. Hisp. 1, 1. 2, 1. 11, 2. 22, 6. 27, 6. 32, 1. 6. 33, 5. 35, 2. 3. 37, 1. 3. 38, 1; coniunct. plusq. pro indic. imperf. 3, 8. 13, 2. 18, 4. 19, 1. 22, 2. 3. 28, 2. 32, 3. 35, 2. 36, 3. 37, 2. Cf. Fleischer p. 6. Apud scriptores ecclesiasticos saepe coniunctivum plusquamperfecti pro coniunct. imperfecti legi testantur exempla, quae collegit Roensch. Ital. 431.

Cum apud bonos scriptores fere lege sancitum sit, ut particulam **postquam** subsequatur indicativus perfecti, aliud tempus aut alius modus raro admodum hic illic inveniatur,

in uno b. Afr. libro prope omnia tempora modosque, quibuscum umquam aliquis scriptor coniunctionem illam sociavit, comprehensa legimus: qua ex inconstantia vel optime vulgare scribendi genus cerni mea quidem sententia potest.

Ac primum quidem (ut eos locos, ubi ex regula indicativus perfecti positus est, omittam) particula ,postquam' semel legitur cum *tempore praesenti* coniuncta b. Afr. 73, 5 ,postquam abhorrere eos videt, reducit sub vesperum legiones in castra'. Iam haec consuetudo praesens historicum cum illa particula coniungendi maxime est comicorum, quippe cum homines in familiari sermone, ut quam dilucidissime atque expressissime res describant, praeteritum in praesens traducere soleant, maximeque id fit in ipso illo verbo videndi, velut ap. Plaut. Capt. 484

Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier;

ap. Terent. Hecyr. 826

ille alias res agere se simulare. postquam video
Nescio quid suspicarier, magis coepi instare ut dicat.

Ceterum conferantur Hand. Turs. IV p. 499; Holtze II p. 64; Brix ad Plaut. Capt. 22; Cat. orat. 34, 4 Iord.

Ne Sallustius quidem deest in illorum numero; scripsit enim Catil. 60, 6 *Catilina postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt, ... in confertissumos hostis incurrit ibique pugnans confoditur;* Iug. 76, 6 *ei postquam murum arietibus feriri resque suas adflictas vident, aurum atque argentum et alia quae prima ducuntur domum regiam comportant.*

Porro sequitur coniunctionem ,postquam' *indicativus imperfecti* b. Afr. 78, 3. 7. 79, 1; sed cum huius usus apud ipsum Caesarem exempla exstent (cf. Herzog ad bell. civ. 3, 58; Handii Turs. l. l.; Em. Hoffmann, Construction der latein. Zeitpartikeln. Vindob. ed. alt. 1873 p. 6 sqq.), non est cur hic offendamur.

Coniunctivum perfecti quoque inveniri nullus videtur grammaticus adnotare, sed habemus in Commodiani carmine apologetico v. 773

Nemo potest ullum excusamen dicere, postquam
Commodo sit nobis facultas data credendi,

qui idem 381. 382. 474 saepius, ubi ,cum' coniunctio causam indicat, indicativum posuit.

Indicativus plusquamperfecti b. Afr. 6, 4. 37, 1. 87, 4 minime ita positus est, quemadmodum illum poni posse Handius IV p. 499 disputavit; neque enim ‚res acta comparatur cum re priori', sed ut in historia describenda res sese continuo excipientes intellegendae sunt; 6, 4 ‚Postquam repulsi et coniecti erant intra munitiones, Caesar iter constitutum ire contendit'; 37, 1 ‚Caesar, postquam legionibus veteranis duabus, equitatu levique armatura copias suas ex secundo commeatu auxerat, naves onerarias statim iubet . . . proficisci'; 87, 4 ‚Itaque posteaquam castra non potuerant potiri, Uticam se in oppidum coniecerunt'. Quibus locis addendus est 38, 4, ubi optimi codices (a b) praebent: ‚Quod postquam Scipio Labienusque animadverterant, equitatu omni ex castris educto . . . . constituunt', quam lectionem ab Nipperdeio spretam et Duebner in textum recepit et Hoffmannus adnot. 56 probavit.

Ne *coniunctivi* quidem *plusquamperfecti* constructio deest: 91, 4 ‚Postquam Iuba ante portas diu multumque primo minis pro imperio egisset cum Zamensibus, dein . . . precibus orasset, uti se ad suos penates admitterent, ubi eos perstare in sententia animadvertit, ... petit ab eis ut sibi coniuges liberosque redderent'. Atque initio quidem cum coniunctivum volgus in deliciis habere animadvertissem, illa constructio valde memorabilis esse videbatur; mox ipsum Ciceronem vidi secundum optimorum codicum auctoritatem nonnullis locis coniunctivum posuisse, quamquam ex locis, qui vulgo proferuntur, unus tantummodo, pro imp. Cn. Pomp. 4, 9 recte ac vere cum b. Afr. comparari potest.

B. Afr. 40, 5 editur secundum codices: ‚Postquam Scipione eiusque copiis campo collibusque exturbatis atque in castra compulsis cum receptui Caesar cani iussisset equitatumque omnem intra suas munitiones recepisset, campo purgato animadvertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque'; ibid. 50, 4: ‚Caesar postquam equitatu ante praemisso inscius insidiarum cum ad eum locum venisset, adversarii (sec. Froehlichii coniecturam pro *abusi*) sive obliti praeceptorum Labieni, sive veriti' etc. Quam sermonis abundantiam cum Hoffmannus l. l. adn. 67 adeo non ferendam esse arbitretur, ut utroque loco ‚cum' interpolatori deberi dicat, Nipperdeio verisimilius videtur scriptorem prioris particulae obli-

tum alteram superaddidisse. Et ego quidem sequor Nipperdeium; quin etiam eius iudicium tam firmis comprobari puto argumentis, ut quod ille verisimile esse scripsit, pro certo atque explorato sit habendum. Primum enim si coniunctioni ‚postquam' ab interpolatore ‚cum' superscriptum esset, iure miraremur, cur non ‚cum' aut ante aut post ipsam particulam ‚postquam' a librario positum esset (cf. Cic. pro Deiot. 13, 16 *cum posteaquam* et Hoffmann. ad h. l.), sed tam longo intervallo ab illa esset disiunctum. Deinde id velim animadverti, in utroque loco ‚cum' post ablativum absolutum sequi: hic enim est fere usus scriptoris b. Afr. omnino ‚cum' quam proxime verbum ponendi. Conferantur 11, 1 ‚Caesar una nocte in navibus consumpta iam caelo albente cum proficisci conaretur etc.'; 15, 1 ‚Caesar novo genere pugnae oblato cum animum adverteret'; 43, 1 ‚Interim Considius . . . . . diu multumque expertus magnisque operibus saepe admotis et his ab oppidanis incensis cum proficeret nihil'; 44, 1 ‚Interea ex secundo commeatu, quem a Sicilia miserat Alienus, navis una, in qua fuerat Q. Cominius et L. Ticida, eques Romanus, ab residua classe cum erravisset'. Cf. praeterea b. Hisp. 2, 1 (ubi cum Fleischero scrib. ‚rebus confectis'). 3, 2. 4, 3. 16, 2. 22, 3. 27, 5. 29, 8.

Iam ne id quidem dubitabimus, quin b. Afr. 4, 3 codicum scripturam ‚Quo simulatque captivus cum pervenisset' Nipperdeius p. 17 in suo iure defenderit.

Particulam dum temporis spatium significantem (während) *imperfecti indicativus* sequitur b. Afr. 51, 7 ‚dum haec opera, quae ante dixi, fiebant, interim pars acie ante opus instructa sub hoste stabat', quod tamen ideo offensioni non est, quia ea, quae in enuntiato temporali ac principali narrantur, per idem tempus gesta sunt. Nam Livio quoque, si ita res se habet, hic dicendi usus probatur, de quo conferendus Hoffmann p. 171, adn. 130.

Ceterum ille b. Afr. locus me admonet, ut locum b. Hisp. 16, 3, ubi et in codicibus et in editionibus legitur: ‚nam quod existimabat (Pompeius) eos posse conatum efficere, nocte tota ultra ibat flumen Salsum in acie', corrigam. Nam Pompeio eruptionem Cordubensium exspectanti ultro citro commeare minime expediebat, praesertim cum, ne Caesar sentiret, quid et ipse et Cordubenses agerent, ei consulendum esset.

Tum neque quis dixerit ,ire in acie' neque quomodo id significet idem quod ,ultro citro commeare' equidem scio. Videlicet emendatione facillima scribendum: ,nocte tota ultra stabat flumen Salsum in acie' vel potius ,ultra f. S. stabat in a.' Cf. 28, 1 ,Pompeium de tertia vigilia in acie stetisse'.

Paulo antiquioribus exemplis ,dum' cum *coniunctivo imperfecti* iunctum (b. Hisp. 23, 2 ,hic dum in opere nostri distenti essent', quo loco Nipperdeius vel invitis omnibus codicibus correxit ,cum', Hoffmannus p. 171 recte ,dum' restituit) probari cum possit, tamen haec non ea sunt, quibus ille usus vehementer commendetur. Agmen ducunt Varr. sat. Menipp. p. 132 R. *dum messem hornam imponeret ...., deam gallantes vario recinebant strepitu;* et Auct. ad Her. 49, 63 *qui istum splendide, dum peregrinaretur, invitarant.* Iam sequuntur post Caesarem et Ciceronem, qui illa constructione plane abstinuerunt, Nepos Timol. 1, 4, Livius nonnullis locis (Hoffm. 172), Valerius Maximus, Apuleius. Atqui cum ex auctore b. Hisp., qui in relativis enuntiatis coniunctivum sine causa amplectitur, vulgarem sermonem coniunctivum in latiores extendisse fines quam urbanum cognoverimus, non a verisimilitudine videtur abhorrere, etiam consuetudinem ,dum' particulam cum coniunctivo struendi praecipue apud plebem valuisse.

In *ablativo gerundii* et *gerundivi* adhibendo optimi scriptores eam semper legem servabant, ut eo absolute posito instrumentum, quo quid efficitur, exprimi, temporis rationem tantummodo addita ,in' praepositione significari vellent. Sed hanc regulam a plebe neglectam esse et nonnullorum scriptorum vulgarium exempla et linguae romanicae testantur, de quibus Diezius III³ 256: ,Diese Casusform (Abl. Gerund.) erweiterte allmählich ihren Bereich auf Kosten des Part. Praes.' Inter latinos autem scriptores ablativum gerundii eadem sententia, qua participium praesentis, adhibuit sine dubio auctor bell. Hispan. 36, 3 ,ita erumpendo (= ,erumpentes' vel ,eruptione facta') navis, quae ad Baetim flumen fuissent, incendunt'; ante eum Plautus Truc. 5, 24 *(ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui),* ubi Holtzius II 59 prius gerundium accedere ad significationem temporis recte monet; Terentius Eun. 843

ubi vidi, ego me in pedes quantum queo

In angiportum quoddam desertum, inde item
In aliud, inde in aliud: ita miserrimus
Fui fugitando, nequis me cognosceret,

post Vitruvius 2, 8, 20 *recipientes umorem turgescunt, deinde siccescendo contrahuntur;* 2, 9, 9 *umores recipiendo celeriter marcescunt;* cf. Rebl. p. 13; Roensch, Itala 432 sq.; Ludwig ad Commod. praef. p. VI.

2. De casibus ac praepositionibus.

Cum in linguis romanicis casuum rationes terminationibus suffixis declarandi usus omnino non reperiatur, necessario cogimur ut sumamus in lingua latina quoque fuisse aetatem, qua illae terminationes abolitae et extinctae compensari solebant praepositionibus. Ac primum quidem casuum munera sermone latino urbano certis legibus constituta inter se commutandi studium aut saltem inconstantia quaedam in eis adhibendis in plebeis hominibus orta est: tum casus cum praepositionibus iunctos simplicibus praeferebant: praepositionibus autem utebantur initio, quotcunque latina lingua eis suppetebat, sed paulatim ad duas maxime omnia retulisse videntur, quae sunt ‚de' et ‚ad', quoniam his ipsis in linguis romanicis casuum rationes exprimuntur. Diezius II³ 13 dicit: ‚Eigentlich muss man sich, da ein Sprachzustand ohne alle Casusbezeichnung nicht anzunehmen ist, die Einführung jener Hilfswörter als ein dem Untergange der Flexion vorausgegangenes Ereigniss denken'; ibid. p. 15: ‚Eine Neigung zu dieser Art der Umschreibung (mit de und ad) scheint die römische Volkssprache bereits gehabt zu haben'. Iam ex inscriptionibus nonnulla exempla affert, singula ex Plauto, Terentio, Varrone. Sed haud scio an mihi contingat, ut ipsa Ciceronis et Augusti aetate illis hominibus inclinationem quandam animi pro simplicibus casibus praepositiones ponendi fuisse eamque per totam argenteam quam dicunt aetatem crevisse demonstrem.

Priusquam autem ad hanc quaestionem instituendam accedam, de simplicibus casibus erit dicendum, quorum in usu et inconstantiam et perversam interdum rationem auctores quoque belli Africani et belli Hispaniensis prae se ferre videbimus.

a. De casibus.

α. De genetivo.

Draeger I 429 insolentem dicit esse usum nomen loci, si commune nomen antecedit, in genetivo ponendi. Affert autem, si nomen commune ‚oppidum' spectamus, ex prosa oratione unum locum eumque ex Ciceronis epistulis, ad Att. 5, 18, 1 *‚in oppido Antiochiae'* (ubi scilicet Wesenbergius contra codices correxit ‚Antiochia'); sed unde hanc licentiam Cicero sumpserit, continuo inde cernitur, quod in uno b. Afr. commentario quater idem deprenditur 36, 2 ‚ex oppido Thisdrae', 58, 3 ‚in oppido Uzittae', 87, 1 ‚ad oppidum Paradae', 91, 3 ‚in oppido Zamae'. Quamquam Nipperdeius, qui hunc genetivum poëtis relinquendum esse putavit (prol. 18), duobus locis correxit 36, 2 ‚ex oppido Thisdra' (cod. a *Thisdrae*, reliqui *Thisdre* exhibent); 87, 1 ‚ad oppidum Paradam', ceteris locis genetivum non ab ‚oppido' pendere, sed per se pro genetivo loci positum esse mire iudicavit. Sed mutandum nihil esse, immo potius plebi ascribendum hunc usum mihi probat praeter codicum consensum linguarum romanicarum consuetudo, quae illam condicionem exprimunt item genetivo posito: ex. c. frg. ‚la ville de Paris'; ital. ‚città di Napoli'; hisp. ‚ciudad de Madrid', cuius regulae nulla extat exceptio (Diez III³ 143). Ineunte media quae vocatur aetate iam scripserunt: ‚villam de Bertiniaca' (Bréquingy, diplom. I 2ᵇ) ex ann. 475; ‚villa de Umbriaco' a. 615 (l. l. 101); ‚civitas de Althisiodero' a. 670 (l. l. 259ª).

De adiectivis notus et incertus cum genetivo constructis supra pg. 32 sq. disputatum est; cf. Draeger I 440.

‚Onustus' cum genetivo b. Afr. 63, 4 ‚onustam remigum epibatarumque' primo legitur apud Plautum Aulul. 4, 2, 4 *‚aulam onustam auri'*; ap. Afran. 16 Ribb. (qui locus e Priscian. X 2 sumptus est) praebet cod. Reg.

postquam pectus est laetitiae onustum

expuncta littera *e:* qua in re ego lectionem *laetitiae* probaverim, cum multo sit verisimilius, librarium mutasse inusitatum genetivum quam hunc, cum in exemplari suo ablativum invenisset, ex arbitrio intulisse. Cf. Pacuv. 291

Postquam est oneratus frugum et floris Liberi.

Praeterea uno tantum loco invenitur apud Tac. ann. 15, 12,

qui tamen non impedit, quominus hanc constructionem Ciceronis temporibus plebis fuisse existimem.

Universe enim in cotidiano sermone in struendis copiae et inopiae verbis et adiectivis constructio per genetivum graeca proprie latinae per ablativum praeposita esse videtur, velut auctor b. Hisp. 17, 2 indigentes praesidii dixit, contra Caesar bell. civ. 3, 35 *indigebant iis rebus;* Plautus, Terentius in hoc verbo solo genetivo usi sunt, item Turpilius 49 Ribb., Lucil. VIII 17 inc. 165 M. Cicero in orationibus indigendi verbum evitasse videtur, quod bis tantum occurrit pro Rosc. Com. 15, 44 et pro Sull. 8, 25 (quo tamen loco inest significatio ‚desiderandi', ‚appetendi'), sed usus est saepe in epistulis et dialogis, in quo quidem genere genetivum anteferebat. ‚*Egere*' cum genetivo maxime usurpatum est a comicis (Draeger I 517), bis a Cicerone in epistulis, bis a Cornificio, semel a Caesare, saepe inde a Sallustio et Livio; ‚*carere*' c. gen. tantummodo a Terentio Heaut. 400 et Laevio (ap. Gell. 19, 7, 7); item ‚*saturare*' et ‚*obsaturare*' c. gen. solis a comicis; ‚*abundare*' cum genetivo a Lucilio VIII 17 et Cornelio Nepote Eum. 8, 5; de ‚*complere, implere, refertus*' cum genetivo; cf. Acta p. 141 sq.

β. De dativo.

Etsi plerumque ut supra dixi in plebe erat studium pro simplicibus casibus ponendi cum praepositionibus iunctos, interdum tamen fit, ut, cum boni scriptores praepositione utantur, illi in simplici casu acquiescant: velut auctor b. Hisp. ita dativum usurpavit, ut locum, in quem actio aliqua dirigitur, eo exprimi vellet: 16, 4 ‚oppido represserunt' = ‚in oppidum'; 24, 4 ‚planicie (id est: planiciei) deicere' = ‚in planiciem', et pari ratione 38, 6 ‚munitiones iugo dirigere'; 40, 1 ‚se recipere castello'. Ex iis exemplis, quibus Draeger I 394 hunc usum illustravit, cui quidem quattuor e b. Hisp. ignota erant, si ea quae poëtarum licentiae debentur mitto, prope Apulei solius loci ad comparandum proferri possunt: met. 4, 16 *novalibus suis ire;* 5, 2 *cubiculo te refer;* 3, 27 *concedere angulo;* 6, 10 *concedere cenae nuptiali;* 10, 24 *lapsa decipulo* (cf. Hildebrandi ad hunc locum adnotationem); de mag. 50 *venis omnibus . . . pervasit.* Sed id quod ex Velleio Draeger laudat: 1, 96 *pecuniam aerario conferre,* multo me-

lius defendi potest, quoniam verbum cum praepositione ,con' iunctum ad dativi constructionem pronius est, quam optimi scriptores minime contempserunt. Sed illud constructionis genus, quod pro aliorum locorum paucitate in b. Hisp. tam frequens est, sine dubio vulgari sermoni debetur.

Composita vero verbi ,sequi' cum dativo iunxisse videtur auctor b. Hisp. 38, 5 ,quibus cedentibus cupidius insequebantur adversarii'; ibid. 14, 3 ,longius quod nostris cedentibus prosequi coepissent' (coll. Caes. b. gall. 2, 19. 5, 16 *cedentes insequi;* 7, 50 *nostri cedentes usque ad castra insecuti;* Hirt. b. gall. 8, 12 *cedentem insequi hostem)*, nisi forte verba ,quibus cedentibus' et ,nostris cedentibus' pro ablativis absolutis interpretanda sunt. B. Hisp. 22, 3 ,illi praesidio insecuti' scriptum esse ,praesidio' pro ,praesidii causa' valde probabile est. Ceterum nullum ex eadem linguae latinae aetate mihi in promptu est exemplum, sed ab hac constructione alienam non fuisse plebis consuetudinem testatur ea res, quod in Vulgata talia reperiuntur: velut Luc. 1, 3 *adsecuto . . omnibus;* Mc. 1, 36 *consecutus est ei.* Roensch It. 439.

,Acquiescere' cum dativo (b. Afr. 10, 5 huic acquiescebant homines; Nipperd. prol. 20) hoc primo loco sub adspectum venit, redit apud Suetonium Tib. 56; Cal. 51; Vit. 14; Tit. 7, ap. ecclesiasticos (Tertull. de pall. 1; Cyprian. 558, 13 Hart.; Augustin. civ. Dei 1, 20. 10, 29. 11, 13) et iurisconsultos, denique in lingua francogallica (Diez III[1] 116) ,acquiescer aux volontés d'autrui', quibus exemplis propositis aetate scriptoris bell. Afr. hoc in usu fuisse cotidianae vitae iure suspiceris.

Eadem denique ratione iudicarim de verbo ,supersedendi' cum dativo structo, cuius constructionis cum ex latina lingua unum proferre possim b. Afr. exemplum (75, 2 supersedere pugnae), eam linguarum romanicarum esse propriam Diezius III[3] 114 affirmat.

γ. De accusativo.

Adverbium clam, quod si praepositionis loco adhibetur, a scriptoribus fere cum ablativo iungitur, ut a Caesare b. civ. 2, 32 *clam vobis*, ab auctore b. Afr. 11, 4 ,clam hostibus' (qui locus apud Draegerum I 621 addendus est), auctor b. Hisp. — ut mittam hoc loco illud ,clam a' b. Hisp. 18, 4 —

struxit cum accusativo (3, 2. 35, 3 clam praesidia; 16, 1 clam nostros) secundum comicorum morem (Holtze I 213): quos secutus est praeter Gellium 2, 13, 16 *clam patrem* et Ulpianum Dig. 9, 2. 27, 14 *clam dominum* Dictys Cret. 1, 22. 2, 18 *clam omnes*. Qua in re ‚clam' cum ablativo iunctum urbanius esse probari puto adverbiorum ‚coram' et ‚palam' similitudine, quibus boni scriptores ipsis quoque ablativum adiungunt: ‚palam' Ovid. A. A. 2, 569 *Marte palam;* Liv. 6, 14, 5 *palam populo;* de ‚coram' satis nota res est.

Interdum contra vulgatam grammaticorum regulam in loco significando praepositione omissa simplex accusativus ponitur: b. Hisp. 35, 3 ‚Lusitaniam proficiscitur'. Ita enim secundum codices legendum esse ne Draeger quidem I 364 negat, quamquam Nipperdeius et Dinter praepositionem ‚in' inserendam esse censebant. Etenim si quae Draeger huius usus exempla collegit perlustrabis, crebriorem eum fuisse quam crediderís efficietur: cui Cicero semel indulsit (nat. deor. 3, 21 *Aegyptum proficisci*), item Caesar b. civ. 3, 106, qua re denuo confirmatur commentarios de bello civili non tanta cura quanta libri de bello Gallico conscriptos esse. Sed maiorem locorum copiam cum comici (Holtze I 194 sq.) et deteriores scriptores (sane haud paucos Livius) praebeant (Guericke 54 sq.), exempli causa Petronius 48 *Africam ire,* deinde quod infra in ablativo a malis auctoribus etiam multo magis illud genus frequentatum videbimus, non ego vereor ne errem, si ex eis, quae Buecheler ad illum Petronii locum adnotat: ‚praepositio abest sive secundum vulgi usum a Spartiano Apuleioque comprobatum sive terra illa urbis instar Trimalchioni videtur', sententiam priorem in meum usum convertam. Ceterum conferatur Hand. Turs. III 301. Hoc autem iudicio nisus etiam cum Fleischero (p. 10) in b. Hisp. 35, 4 codicum lectionem ‚rursus Hispalim oppidum denuo noctu per murum recipitur' contra Oudendorpium, quem Nipperdeius ac recentiores editores secuti sunt, retinuerim; praeterea coll. Nep. Them. 4, 1 *astu accedere,* Alcib. 6, 4 *astu venire;* Liv. 3, 1, 5 *Antium, opportunam urbem . . . coloniam deduci posse* (cf. Kuehnast, Livian. Synt.[2] 156); Apul. met. 1, 5 *si Thessaliam proximam civitatem perveneritis;* ibid. 7, 13 *civitatem revenimus;* 9, 41 *civitatem adventat.* Cf. Hildebr. ad Apul. met. 9, 16.

Istuc aetatis b. Afr. 22, 2; id temporis b. Hisp. 3, 7; idem temporis b. Hisp. 3, 1. 4. 12, 3. 13, 3. 20, 4 ad id spectant accusativi genus, de quo Draeger I 367: ‚der accusativus temporis dient in vorklassischer Sprache auch zur Bezeichnung der blossen Zeitangabe ohne Rücksicht auf die Dauer'. Sed cum ipse ex Cicerone petat exempla, mihi Tullium hoc in usu prisco vel potius cotidiano sermoni aliquid concessisse iudicare videtur. De locutione ‚istuc aetatis' supra p. 48 disputavi. Id temporis b. Hisp. 3, 7, ut ex sententiarum nexu concludendum est, idem valet quod plerumque ‚hoc ipso tempore' vel ‚nunc', sed a Cicerone pro Rosc. Am. 97 *‚id temporis Roma proficisceretur'* (zu so später Stunde), Catil. 1, 6, 10, Milon. 20, 54 *(praesertim id temporis;* quod explanat Richter ‚vesperi'), Fin. 5, 1, 1 et a Livio 1, 50, 8 ita adhibitum est, ut certa quaedam diei noctisve pars intellegenda sit; Tacitus denique, qui inde ab XII. annalium libro ‚id temporis' in suum scribendi genus recepit, eandem subiecit sententiam locutioni, quae ab auctore b. Hisp. verbis ‚idem temporis' exprimitur, quam neque ante auctorem b. Hisp. neque post inveniri video.

‚Adpropinquare' pro usitato dativi casu coniunxit auct. b. Hisp. cum accusativo (5, 5 ripas adpropinquantes), sicuti Sallustius frg. 4, 21 Kr. eiusque imitator Tacitus ann. 12, 13 ‚propinquare', Apuleius met. 11, 16 ‚proximare'.

Verbo ‚circumfundi' Caesar absolute tantum usus est (b. gall. 6, 34. 37. 7, 28; b. civ. 1, 63. 67. 3, 63): Hirtius 8, 29; Liv. 2, 65. 6, 15. 22, 7. 26, 27; Velleius 2, 112, 4; Curt. 3, 9, 12. 4, 13, 5. 15, 21 cum dativo posuerunt; b. Afr. auctor autem scripsit 78, 4 ‚Pacidius suos equites exporrigere coepit in longitudinem, ut haberent facultatem turmas Iulianas circumfundi', sicuti Curt. 7, 5, 9 *Anxium regem circumfusi amici;* Apuleius met. 3, 8 *utraeque quatientes, quae circumfusae lectulum;* id. 8, 29 *circumfusi nudatum supinatumque iuvenem.*

‚Flare' transitiva significatione usurpavit auct. b. Afr. (52, 4 pulvisque vento flatus), ut Varro de l. l. 6, 2, 53; Lucr. 5, 904; Ovid. Fast. 4, 341; Plin. 36, 14, 36; item ‚pergere' (69, 4 iter coeptum pergere) aut ad Terentii (Hec. 194 *pergam quo coepi hoc iter*) exemplum se accommodans aut — id quod ego maluerim — ex cotidiano sermone

sumens: in quo etymologicae quae vocantur formulae, ad quas ‚iter pergere‘ adspirat, magis in usu fuisse videntur quam in eleganti scribendi genere. Nam apud eundem b. Afr. auctorem legitur: iter constitutum ire 6, 4, iter inceptum ire 75, 7, unica si Draegero I 357 (cf. Naegelsb. Stilist. [6] p. 307) credi potest, exempla; in b. Hisp. 16, 5 facinus nefandum facere, quae locutio est apud Plautum (Pseud. 490. Mil. 618. Curc. 1, 1, 24), Terentium Andr. 854, in pall. inc. inc. 39 Ribb., in trag. inc. inc. 64, ap. Ciceronem Fin. 2, 29, ubi poëtam secutum esse Brixius ad Plaut. Trin. 302 iudicat, ap. Sallustium Catil. 7, Iug. 5, Livium 1, 41. 24, 22, Petronium. Et ex familiari sermone eiusmodi formulas in gravem scripturam irrepsisse existimo propterea, quod Caesar nusquam, Cicero raro (in orationibus certe) talia admiserunt: tum quae apud Ciceronem leguntur, omnes fere ex comicorum sermone sumptae sunt, velut ‚facinus facere‘, ut modo vidimus, ex Plauto, *servitutem servire* Cic. pro Mur. 29, 61; Top. 6, 29 ex eodem (Trin. 302), *vitam vivere* Cic. de sen. 21 indidem (Pers. 4, 3, 24); pariter *dicta dicere* Phil. 2, 17, 42 respondet ad Plaut. Trin. 77; Pseud. 107. 360 (cf. Lor. prol. ad Plaut. Pseud. p. 41); aeque Coelius (ap. Cic. Fam. 8, 2, 1) recordatus esse videtur Terentiani *gaudium gaudere* (Andr. 964), ut Catullus 61, 119 *quanta gaudia gaudeat!* (De fig. etym. in romanicis linguis frequenti disseruit Diezius III[3] 117 sq.).

‚Perseverare‘ transitive usurpatum (b. Afr. 18, 4 ‚ad insequendum hostem perseverandumque cursum tardiora‘) primum quidem priscum sermonem redolet, cum Cicero in or. p. Quinctio c. 24, cuius de ratione ea, quae Actorum p. 101 sq. disputata sunt, conferas, ipse quoque admiserit, sed, id quod plus in se habet excusationis, cum accusativo pronominis iunctum: *neque te ipsum id, quod turpissime suscepisses, perseverare et transigere potuisse;* eodem modo res se habet apud Livium 22, 38, 13 *quo id constantius perseveraret.* Sed cum hoc constructionis genus posterioribus temporibus increbruerit (Iustin. 12, 6 *perseverata inedia;* Symm. 1, 90 *perseverare observantiam;* id. 10, 73 *perseverandae religionis;* Firm. Mat. 5, 2 *perseverare iras;* Tertull. apol. 9 *perseveratur hoc facinus;* id. de pall. 4 *puellam perseverare),* id plebi Ciceroniana aetate relinquendum esse puto.

‚Efflagitare' etsi Draeger I 347 nusquam cum duplici accusativo construi recte observavit, tamen proxime ad hanc constructionem accedit auctor b. Hisp., qui 29, 7 scripsit: ‚aequitas loci adversarios efflagitabat, ut tali condicione contenderent ad victoriam'.

Quod ad *accusativum graecum* qui vocatur attinet, quem poëtae ut Vergilius, Ovidius, Horatius, ceteri saepissime in suum usum converterunt, dignum est memoratu, primos locos, ubi in prosa invenitur, commentarii b. Afr. esse proprios: 78, 10 ‚Pacidius graviter pilo per cassidem caput ictus'; 85, 8 ‚brachium gladio percussus'. Livius nequaquam crebro (Kuehnast, Livian. Synt. ² 153) huic usui concessit (22, 12, 5 quem locum Draeger I 340 probandi causa laudat, Woelfflinus Livian. Krit. 14 legendum esse censet, non *‚cura animum incussus'*, sed, *‚cura animum incessit'*), Apuleius contra usque ad taedium: qui usus quamquam in linguas romanicas non transiit (Diez III³ 123), tamen, quia apud ecclesiasticos quoque scriptores et in Vulgata (Roensch It. 437), quo in scriptorum genere de poëtarum imitandorum studio cogitari non potest, multa exempla extant, ego non gravabor si quis propter cotidianae vitae consuetudinem cum Graecis Romae institutam etiam de plebe homines illum in sermonem latinum induxisse censebit.

δ. De ablativo.

In ablativo quoque primo notandae sunt *praepositiones omissae* (cf. Nipperd. prol. 26), velut *ex* vel *de* b. Hisp. 15, 2 ‚pedites levi armatura lecti'; 18, 3 ‚suo signo perisse homines triginta'; 20, 4 ‚saucii occiderunt aliquot levi armatura'; *in* 9, 4 ‚cum ex castello repugnare coepissent maioribusque castris Caesari nuntius esset allatus'; 25, 2 ‚planitie . . constiterunt'; 30, 1 ‚lateribus . . . tegebatur'; 26, 7 secundum optimorum codicum lectionem a Fleischero p. 18 probatam ‚animo habere' (ut Liv. 44, 25, 1); 18, 3 ‚neque licere castris Cn. Pompei nuntiare neque dicere perisse quemquam'.

Ceterum in hoc ultimo loco verba mihi non integra esse videntur. Primum enim quis sit, cui res nuntietur, requiro: tum si Pompeius cui nuntius afferatur erit putandus, verbum ‚castris' otiosum est. Ea potius sententia debet loco inesse

in castris Pompei de multorum illorum hominum iactura non licere ullam mentionem facere, sed quasi arcanum id silentio esse praetereundum. Iam coniectura in promptu est eaque facillima: castris Cn. Pompei enuntiare, cf. Caesar b. gall. 6, 31 *ne ea, quae dixissent, enuntiarentur;* 5, 58 *omnes intra castra continuit, ut nulla ratione ea res enuntiari aut ad Treveros perferri posset.* Quamquam ne sic quidem omnia expedita sunt; nam haud scio an verba ‚neque dicere', quae post ‚enuntiare' fere supervacanea sunt, parum recte se habeant: quare ea aut e dittographia verborum ‚neque licere' exorta aut a librario, qui lectionem ‚nuntiare' explicare voluit, addita esse existimo.

Sed ut redeat unde aberravit oratio, quod praepositio deest, in eis maxime locis notari debet, ubi substantivo nihil est attributum, qua de re Draeger I 485: ‚Vereinzelte Ablative der Ortsruhe . . sind in alter und klassischer Zeit höchst selten, werden von Livius ab gebräuchlicher'. Exempla autem praebent Hirtius b. gall. 8, 43 *murisque disponunt*, Dolabella ap. Cic. Fam. 9, 9, 2 *Pompeio . . . pulso Italia*, imprimis Vitruvius, qui, ut auct. b. Hisp. 25, 2 ‚planitie . . . . constiterunt', ita 9, 8, 2 *describatur linea planitiâ* dixit, saepe in terrarum nominibus praepositionem neglexit: 2, 6 ,5 *Achaiâ, Asiâ;* 4, 1, 3 *Achaiâ Peloponnesoque;* 4, 5, 2 *Aegypto;* 6, 1, 1 *aliter Aegypto, aliter Hispaniâ, non eodem modo Ponto;* 7, 7, 2 *ut Ponto . . . . Aegypto, in Hispania;* 8, 3, 12 *insula Lesbo . . . . Lydiâ, Siciliâ, Campaniâ.* Atque haec ad Draegeri I 457 exempla amplificanda affero; de *ab*, *de*, *cum* praepositionibus omissis cf. Holtze I 39 sq.; Brix ad Plaut. Trin. 265; Men. 137; Draeger I 460 sqq.; Guericke p. 55.

Quod cum ablativo struxit auctor b. Afr. ‚peritus' (31, 2 ‚mirabili peritus scientia bellandi'), id ab vulgari dicendi genere vix licet seiungere: quamquam *iure peritus* apud ipsum Ciceronem pro Cluent. 38, postea apud Eutrop. 8, 17; Aurel. qui dicitur Victor. epit. Caes. 19 legitur. Nam haec sine dubio formula est iuris consultorum, quae aut ut a maioribus tradita prisci sermonis naturam servavisse aut usu trita e formula ‚iurisperitus' in hanc abiisse putanda est.

Sed de formula cogitari non potest neque in illo b. Afr. loco neque cum scripserunt Vitruvius 1, 1, 4 *qui pluribus artibus debet esse peritus,* Velleius 2, 29, 3 *peritus bello,* Gellius

4, 8 *disciplina militari peritus*, Paulus Dig. 22, 7, 19 *arte peritus.*

Verbi potior omnes constructiones, quae omnino locum habere possunt, et in b. Afr. et in b. Hisp. reperiri iam pridem observatum est (Nipperd. prol. 19 et 24). *Ablativus* legitur b. Afr. 51, 1. 74, 3. 76, 1. 83, 5. 86, 1. 87, 1; b. Hisp. 13, 4. 19, 6. 34, 5. 40, 8; *accusativus* b. Afr. 36, 4 castellum; 39, 3 locum; 68, 2 oppidum; 87, 4 castra; 89, 2 id; b. Hisp. 16, 4 praedam armaque; *genetivus* b. Afr. 18, 4 eorum; 50, 5. 61, 6 vivorum; 74, 1 cuius; b. Hisp. 1, 1 Hispaniae; 2, 2 provinciae. Quibus locis comparatis auctores b. Afr. et b. Hisp., cum etiam saepius rarioribus constructionibus usi sint (ablativo decies, genetivo et accusativo duodecies), his idem ius cum usitata concedendum esse putasse apparet. At bonorum scriptorum consuetudo ab hac longe recedit, qui quidem, cum eis regula sit ac norma ablativum ponendi, parce genetivum, parcissime accusativum admittunt. Scilicet hunc potissimum fuisse cotidiani sermonis multis argumentis comprobatur. Primum enim cum per se intellegitur tum per huius commentationis breve spatium saepius animadvertimus plebeiorum hominum animos eo inclinasse, ut intransitivis verbis transitivorum rectionem inderent (cf. circumfundi, flare, pergere, perseverare), deinde ii loci, ubi accusativus extat, maxima ex parte aut in prisci sermonis monumentis aut apud inferioris aetatis scriptores leguntur, denique similitudo docet verborum quae sunt ‚uti, frui, fungi' aliorumque, quae ipsa quoque imprimis apud comicos et rei rusticae scriptores et apud posteriores cum accusativo coniunguntur.

b. De praepositionibus.

1. *A, ab.* Adverbium ‚clam' contra omnium consuetudinem cum praepositione *a* ab auctore b. Hisp. 18, 4 ‚clam a Caesaris praesidiis' structum esse supra p. 60 commemoravi.

Idem auctor post adverbium ‚proxime', quod fere aut accusativus aut dativus sequi solet, praepositionem *a* posuit: 15, 3 proxime a vallo, sicut Plinius n. h. 5, 26, 89 *a Sura proxime;* Colum. 1, 6 *quam proxime alter ab altero;* Cels. 4, 7 *proxime ab his,* quo in usu studium quoddam rerum

paulo fusius describendarum cognoscere licet. Nam etiam *prope a* Cicero in prioribus orationibus tantummodo, in quibus abundantia quaedam dicendi notatur (Acta p. 101 sqq.), admisit: Verr. 5, 2, 6. 2, 3, 6, postea in or. in Pis. 11.

2. *Ad α) pro dativo.* Unum exstat exemplum, in quo quam dilucidissime potest, quomodo in sermone vulgari dativus casus solutus et praepositione compensatus sit, cernitur. Cum enim omnium scriptorum sit locutio: subsidio venire (cf. Caes. b. gall. 3, 3. 5, 27. 7, 36; b. civ. 1, 19. 3, 80), auctor b. Hisp. 31, 5 scripsit ‚ad subsidium venire'; pro ‚subsidio ducere, adducere' (Caes. b. gall. 2, 8; b. civ. 1, 45. 3, 69) b. Hisp. 31, 4 legitur ‚ad subs. traducere'. Tertium exemplum etsi mihi praesto non est, hanc tamen constructionem Francogallis probatam (*venir au secours* = venire ad succursum, Diez III³ 158) plebi non insolentem fuisse persuasum habeo. Comparaverim quod in inscriptione legitur ap. Wilm. I 695: *esse ad instrumentum Augustalium.*

Adpropinquare, cui verbo plerumque dativus additur (Draeger I 381), cum *ad* praepositione construxerunt: auctor b. Afr. 23, 2; auctor b. Hisp. 2, 4. 3, 8. 9, 5; Vitruvius 1, 5, 2. 10, 22, 7: porro singuli loci laudantur ex Nepote Tim. 3, 3; Cicerone Fin. 4, 23, 63, Caesare b. gall. 2, 19, 2. Quorum tamen de eo, quem ultimum attuli, mihi res non constare videtur. Sane legitur in omnibus editionibus b. gall. 2, 19, 2: *nam quod ad hostis adpropinquabat, consuetudine sua Caesar sex legiones expeditas ducebat.* At primum quidem ‚ad' deest in optimis codicibus Bong. I et Paris. I; deinde ‚adpropinquare' cum ‚ad' coniungere ab Caesaris consuetudine abhorret, qui b. gall. 4, 25 *hostibus adpropinquarunt;* ibid. 2, 10 *adprop. finibus;* 2, 31. 7, 22 *moenibus;* 4, 10 *Oceano;* 6, 37 *castris;* 7, 82 *munitionibus;* b. civ. 1, 79 *locis;* 2, 7. 38 *urbi;* 3, 24 *navibus* etc. etc. scripsit. Quibus de causis Caesarem scripsisse coniecerim *‚quod hostibus adpropinquabat'.* Nam cum per se vocabulum ‚hostibus', si per compendium ‚hoſtib;' scriptum erat, facile cum accusativo ‚hoſtiſ' confundi posse intellegitur, tum ex ipso Caesare duo huius confusionis exempla proferam. B. gall. 7, 82 omnes codices praebent *‚munitionibus adpropinquarent'* praeter unum Vossianum, in quo reperitur a prima manu scriptum *munitiones;* quam scripturam simili ratione ortam esse puto. In

contrariam vero partem peccavit librarius b. gall. 5, 56, 5, ubi in optimorum codicum uno perhibetur *per finibus,* pro eo quod grammatica postulat *per fines* sive *finis.* Quae si recte disputavi, cum boni scriptores duobus vel potius uno loco ‚adpropinquare' cum ‚ad' coniunxerint, auctores b. Afr. et b. Hisp. et Vitruvius saepius, iure, opinor, sententia ferri potest, illam constructionem esse secundum plebis consuetudinem.

Sed ut ad alios scriptores disputationem extendam, nonnulla ex eis, quae Kuehnastius Liv. Synt. 154 sq. Livium, praepositionum amantissimum (ibid. 154 fin.), primum usurpasse monet, fortasse licet ad eandem rationem revocare, velut *respondere ad aliquid* pro ‚respondere alicui rei' (Liv. 28, 6) primo apud Varronem de re r. 25, 9 legitur, deinde apud Vitruvium undecies (3, 1, 4. 4, 5, 12. 5, 12, 2. 8, 7, 14. 9, 1, 11. 10, 1, 1. 2, 5, 3. 5, 6, 7. 7, 3, 5. 6, 11, 3. 4).

Locutionis *se dedere ad* Liv. 27, 15, 2 pro usitato ‚se dedere alicui' Kuehnastius nullum se nosse exemplum, in quo eadem propria illi sententia insit, affirmat; sed cum utilitate comparari potest, quod ad cognoscendam locutionis naturam attinet, Plautina *dare ad aliquem* pro ‚dare alicui' Capt. 1019 *ego hunc ad carnuficem dabo*; Stich. 140 *hostis est uxor quae invita ad virum nuptum datur;* similiter Rud. 857 *hunc qui ad carnuficem traderent* (cf. Schmilinsky p. 11).

Eodem spectat *vindicare ad se* pro ‚vindicare sibi' ap. Liv. 9, 43, 4. 44, 14, 8, quamquam ne hoc quidem alterius scriptoris exemplo probari potest.

Dedicare ad alqm nemo videtur dixisse praeter Vitruvium (5, 5, 8 *ad aedem Lunae dedicavit*) nec magis *obstare ad* (id. 6, 9, 6 *o. ad eum locum*), *restituere ad* solus Livius (2, 13, 6 *sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit;* 49, 7 *sospites brevi in patriam ad parentes restituant;* 24, 47, 10 *Arpi restituti ad Romanos).*

β) De praepositione *ad pro accusativo* posita b. Hisp. 40, 8. 42, 1 ‚ad Hispalim recurrere, se recipere' cf. Fleischer p. 9.

γ) *Ad* praepositio *aliarum praepositionum vice* posita. Cuius generis cum e commentariis b. Afr. et Hisp. non ita magna exemplorum copia repeti possit, ad alios scriptores recurrendum est. Nam queri ad senatum b. Afr.

97, 3 locutio etsi hoc uno loco exstare videtur, cum fere dicatur aut *queri cum* (Cic. Acad. 2, 25; ad Att. 3, 10; Liv. 35, 3) aut *q. apud* (Plaut. Pseud. 302; Cic. Att. 5, 21, 3), tamen offensioni non est propterea quod accedit ad similitudinem locutionum quae sunt *dicere ad aliquem* (Cic. Tusc. 3, 21 *non apud exercitum neque ad censores dicere*), *agere ad* etc. Nihilo minus ex eis exemplis, quae Draeger I 535 collegit, hunc usum praepositionis *ad* demum inde a Livio magis magisque increbruisse et in latiores se fines extendisse apparet: velut Liv. 7, 7 *neque segnius ad hostes bellum apparatur* paene adspirat ad id quod Caecilius scripsit 146 Ribb. *quasi ad hostis captus.*

Praepositionis *in* locum obtinere ,ad' clare elucet comparatis locis his:

αα) pro ,in' cum accusativo: Cic. Verr. 1, 4, 12 *restituere in antiquum statum* cum Wilm. Ex. 769 *ab originem* (sic) .... *ad meliorem statum restituere;* 851 *ad pristinum statum restituere;* 686. 1075 *restaurare ad pristinam faciem;* porro Cic. pro Cluent. 36, 98. Caes. b. civ. 3, 1 *restituere in integrum* cum Wilm. 769 a *ad integrum restituere.* ,Ad' pro ,in' terrarum nominibus praeposuit iam Eutropius 2, 14 *ad Africam regressus;* 2, 12 *ad Africam profecti sunt* (Draeger I 533. Diez III³ 157). Denique Servius ad Verg. Aen. 1, 2 adnotat *Italiam venit* pro *ad Italiam venit.*

ββ) pro ,in' cum ablativo. Iam Plautus scripsit Pseud. 526

ne quo te ad aliud occupes negotium

(pro ,occupari in negotio'), id quod unicum ex latinis scriptoribus esse videtur exemplum, sed ad verbum respondet Francogallorum locutioni ,s' occuper à quelque chose'. In inscriptione Augusteae aetatis ap. Wilm. 1241 reperitur *Alexandreae ad Aegyptum;* ibid. 1262 *praefectus ad Siciliam.*

3. *De.* Incipere disputationem de praepositione *de* mihi liceat eodem modo, quo in deminutivis describendis exorsus sum, ita scilicet ut Vitruvium et Plinium secundum Detlefseni excerpta (Philol. 31, 385 sqq.) conferam, praemissis tamen, quae Diezius III³ 164 dicit: ,Mit ,ex' zeigt die alte Sprache, mit ,de' die neue (romanische) den Stoff an, aus dem eine Sache hervorgeht'. Sed ,de' hac ratione iam Augusti temporibus usurpatum esse demonstratur his locis:

Vitruv. 3, 2, 1.	Plin. n. h. 35, 170.
Itaque primum de lateribus, qua *de* terra duci eos oporteat: non enim *de* harenoso neque calculoso luto neque sabulone soluto sunt ducendi .... faciendi sunt *ex* terra albida cretosa sive *de* rubrica aut etiam masculo sabulone.	Lateres non sunt *ex* sabuloso neque harenoso multoque minus calculoso ducendi solo, sed *e* cretoso vel etiam *e* sabulo masculo.
id. 2, 3, 4.	Plin. l. l. infra.
natare autem eos posse ideo videtur, quod terra est *de* qua ducuntur pumicosa.	non merguntur in aqua; sunt enim *e* terra pumicosa.
id. 2, 7, 4.	id. 36, 168.
de his lapidicinis in aeris flatura formis comparatis.	*ex* iis formae fiunt.
id. 2, 8, 5.	id. 36, 171.
(Graeci) ponunt *de* silice seu lapide duro ordinaria et ita uti latericia struentes alligant eorum alternis coriis coagmenta.	Graeci *e* lapide duro aut silice aequato struunt veluti latericios parietes.

Eundem aut similem praepositionis ‚de' usum, qua materia, ex qua quid paratur, indicari solet, apud Vitruvium his praeterea, quos adscripsi, locis inveni:

2, 1, 3 de fronde facere tecta. *ibid.* de luto et virgulis facere lora. 2, 4, 2 tum de fluminibus aut e glarea erit excernenda, non minus etiam de litore marino (Liv. 28, 39 excernere ex). 2, 5, 1 de albo saxo aut silice coquatur. 2, 8, 6 de materia possunt exugere liquorem. 3, 2, 5 imponendae de materia trabes perpetuae. 4, 7, 5 structura seu de materia. 7, 1, 2 de cerro aut fago seu farno nullus ad vetustatem potest permanere. 8, 7, 14 caementum de silice frangatur. 10, 2, 11 scapi de materia trientali. 10, 11, 4 quae de materia fiunt organa. 10, 13, 1 de materia compacta basi. 10, 19, 1 de materia basim fecit. 10, 21, 6 de ferro duro... rostrum (paulo infra: ex ferro factae).

Et ex eo, qui Vitruvium excerpsit, Faventinum dico, haec adnotanda sunt: 21 ‚catenae parentur de iunipero'; 29 ‚com-

ponatur de lapide'; 19 ,coaxationes de cerro'; 21 ,fasciculos de canna facies'; 19 ,loricabis de saxo'; 20 ,dolabis de ascia'.

Sed ut ad eos commentarios veniam, in quibus haec commentatio proprie versatur, quamquam verba movendi velut ,eicere', ,expellere', ,excedere', similia apud ipsum Ciceronem in orationibus cum ,de' praepositione coniungi haud ignoro, tamen fuisse locutiones quasdam, in quibus in eleganti scribendi genere ,ex' praepositionem usurpare certa consuetudine constitutum esset, suspicor. Atque huc referri potest locutio *e navibus egredi*, quam legimus ap. Cic. Vatin. 5, 12; Caes. b. gall. 4, 26. 27; b. civ. 3, 106; Liv. 10, 20, 7. (Kuehnast 169 Anm.) *Navi egredi* Caes. b. gall. 4, 21. 24; Liv. 45, 13. Sed auctor b. Afr. 11, 2 scripsit de navibus egredi. Tum apud Caesarem b. gall. 1, 50. 2, 8. 7, 13. 40. 49. 51. 53. 79. 80; b. civ. 1, 43. 2, 27. 3, 30. 84; ap. Liv. 31, 37 (Kuehnast. 168) legitur *educere ex castris*, contra ap. auctor. b. Afr. 58, 1 de castris educere.

Quocum etsi nemo conspirare videtur, tamen ad comparationem possunt afferri, qui a Draegero I 584 laudantur ex deterrimis scriptoribus loci: Capitol. Pert. 4 *de castris cum venisset;* Vulc. Gall. 6 *delicias de castris submovit;* Eutrop. 9, 19 *rediens de Perside;* Vop. Firm. 5 *de Carris redeunte.* Quibus adde: Wilm. 1478 *regredi de expeditione;* Gregor. Tur. 6, 34 *egredi de Parisius* (Diez II³ 43 Anm.); id. 6, 33 *regredi de Hispaniis.*

Emergere Cicero construxit cum ,ex', item Livius plerumque usus est ,ex' (Kuehn. 169), semel ,de', Vitruvius uno loco, quo ei omnino hoc verbo opus erat, ,de': 1, 6, 11 *emergere de* subterranea parte (cf. Woelfflin ad Liv. 22, 3, 1 adnot. et append. crit.). *Dimittere* apud Ciceronem, Caesarem, Livium aut ,ex' aut ,a' post se habet (Kuehnast 168), apud Vitruvium ,de' (5, 3, 5 *cum populus dimittatur de spectaculis). Natus de* poëtis esse relinquendum Krebsius Antib. s. v. contendit (cf. Plaut. Capt. 274 *quo de genere gnatus*), sed idem vulgaris sermonis fuisse proprium docent Vitruvius, qui 8 praef. 1 *nasci de aere,* et Faventinus, qui c. 15 *de vaporatis regionibus corruptelae nascuntur* scripsit. *Procreari de* Cicero admisit de re publica 2, 19, cuius tamen libri de natura iam saepius monitum est, iterum Vitruvius 7, 5, 4 *de radicibus et coliculis* (= cauliculis) *procreari.* De integro

b. Hisp. 35, 4 (de integro pugnare coeperunt) Caesari ignotum, a Cicerone in epistulis tantum adhibitum est (Fam. 12, 30, 2; ad Att. 13, 27; contra Verr. 1, 2, 6 *ab integro*), inde a Livio (21, 6, 5. 23, 16, 2. Kuehnast. 362) usitatum.

Interdum ipsorum casuum loco posita est praepositio *de*. Atque ab accusativo hac ratione compensando ne boni quidem scriptores prorsus abstinuerunt, etiamsi certis quibusdam finibus hunc usum circumscripsisse videntur. Sed indignari de aliqua re b. Hisp. 18, 8 pro ‚indignari aliquid', quibus exemplis comprobem nescio. Constructionem commemorare de b. Afr. 26, 2 (‚de adversariorum eius crudelitate acerbitateque commemorare coeperunt') Caesar quamquam verborum transitivorum absolute positorum amator (Th. Fischer, die Rectionslehre bei Caesar. Progr. Halle 1853 p. 1), non admisit, sed Cornelius Nepos Dion. 6, 2 *in filio de quo commemoravi supra*, ter Cicero, in epistulis, ad Qu. Fr. 1, 1 *omnes de tua virtute commemorant*, de or. 3, 72 *Metrodorus, de cuius memoria commemoravit*, pro Rab. 34 *Decius, de quo tu saepe commemoras*, cum ‚commemorare c. accus.' innumeris locis inveniatur. ‚Memorare de' prisci scriptoris est apud Cic. Fin. 2, 5, 15 *ut Heraclitus cognomento qui σκοτεινός perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit.* Sed tales constructiones plebeiorum hominum usu multo magis tritas fuisse demonstrare posse mihi videor. Velut ‚praetermittere', quod verbum propter praepositionem ‚praeter' necessario obiectum requirit, cum *de* coniunxerunt auctor b. Afr. 84, 1 ‚non videtur esse praetermittendum de virtute militis' et semel certe Vitruvius 5, 12, 1 *de opportunitate portuum non est praetermittendum.* Nam Vitr. 10, 13, 1 *de hydraulis quas habeant ratiocinationes . . . . . non praetermittam* dubitari potest, utrum verba ‚de hydraulis' a ‚praetermittere' pendere an quasi tituli loco (= quod attinet ad hydraulos) toti enuntiato praemissa esse existimanda sint. Similia leguntur apud Tertullianum adv. Marc. 5, 11 *praetereo hic et de alia epistula;* ad uxor. 1, 3 in. *ideo praemiserim de libertate vetustatis.* Dignae quoque quae commemorentur Vitruvii locutiones sunt hae: 7, 5, 8 *ponere de aliqua re*, etwas auseinandersetzen, 2 praef. 5 *anteponere de aedificiorum rationibus*, 10, 12, 1 *monstrare de*, 10, 16, 1 *est expeditum de re aliqua*; etiam ea quae 10, 2, 1 leguntur: *pri-*

mumque instituemus de is, quae . . . comparantur, satis audacter dicta esse iudicabimus, nisi forte, cum in enuntiato antecedenti scriptum sit, ‚*incipiemus de is . . . explicare*‘, ad ellipsis rationem refugiemus: quo certiore iudicio referam 10, 19, 1 *restat mihi de oppugnatoriis rebus.*

Etiam pro *genetivo*, cuius locum in romanicis linguis sola obtinet, praepositionem ‚de‘ Augustea aetate in plebeio sermone usurpatam esse ex eodem Vitruvio mea quidem sententia evinci potest. Scripsit enim ille: 4, 6, 4 *scaporum latitudines inpagis dimidia parte, idem replum de inpagine dimidia et sexta parte* (scil. *fiant*); 4, 1, 2 *quoniam autem de generibus columnarum origines et inventiones supra sunt scriptae;* 5, 9, 8 *de lignatione . . . . difficilis et molesta est apparatio;* 1 praef. 2 *de vita communi . . . . curam habere* (cf. Quintil. 10, 6, 5 *habebit inprimis curam vocis*). Posteriorum scriptorum nonnulla exempla congesta sunt in indicibus Val. Rosei ad ‚Plinii Secundi quae fertur una cum Gargilii Martialis medicinam‘ (Lips. 1875) et Ludwigii ad Commodiani carm. apol., denique a Roenschio It. 426 sq.

4. *Ex.* Cumulate ‚ex‘ praepositio iam Draegero I 595 posita esse videbatur ab auctore b. Afr. 46, 4 qua ex re commotus; 57, 1 ‚commoti ex tali incommodo‘; 72, 1 ‚quibus ex rebus vehementer commovebatur‘: neque tamen plus unum ex Cicerone exemplum affert de re publ. 2, 33 *ex aere alieno commota civitas*, similia ex Nepote inferiorisque aetatis scriptoribus velut ex Gellio (*ex summo opere* = summopere). Quibus e locis collegerim, primo hanc abundantiam fuisse prisci sermonis, id quod mihi Ciceronis locus, qui in libris de re publica conscriptis illum imitari studuit, et eadem de causa Gellii persuadet, deinde cum apud auctorem b. Afr., cuius vulgare esse dicendi genus per totam hanc commentationem satis me demonstrasse existimo, ter reperiatur ac posterioribus saeculis repetatur, per omnes aetates a plebe non fuisse spretam.

5. *In. Dativi* locum obtinet ‚in‘ praepositio in locutionibus quae sunt: adpropinquare in pro ‚adpropinquare alicui rei‘ (cf. supra p. 67) b. Hisp. 30, 2; suffigere in cruce b. Afr. 66, 4, Catull. 99, 4, Horat. sermonum 1, 3, 81, cum alii scriptores aut locutionem totam removerint (Ci-

cero *in crucem tollere, agere; cruce afficere*) aut dativum posuerint (Cic. in Pis. *cruci suffixum*).

Introire in, *c. accusativo* b. Afr. 7, 2. 90, 1, b. Hisp. 22, 2 usitatius fuisse videtur quam ‚introire aliquid', quod apud Ciceronem Phil. 2, 28 (*in* de or. 1, 181; ad Att. 7, 7. 16, 11; Fam. 16, 9), apud Corn. Nep. Dion. 5, 3, saepius apud Suetonium legitur, sed *in* cum ablativo (Cato de re r. 157 *si polypus in naso introierit*) quin vulgo debeatur non dubito.

Denique singulariter scriptum est ab auct. b. Hisp. 6, 5 ‚sic ut vix in ea caede pauci effugerent', quandoquidem plerumque *effugere ex aliqua re* dici solebat.

6. *Inter* (Froehl. p. 19). Verbum ‚interponendi' et Caesar et ceteri scriptores cum dativo structum in usu habebant, sed auct. b. Afr. repetita praepositione 13, 1. 20, 1. 60, 5 scripsit interponere inter, id quod nullo exemplo illustrare queo. Item desunt testimonia locutionis exponere contra b. Afr. 10, 4 pro ‚exponere alicui rei'.

7. *Propter*. Hac praepositione de loco Caesar numquam usus est, sed auct. b. Afr. 37, 3. 73, 5; auct. b. Hisp. 5, 5: ac prior quidem 73, 5 in ea locutione (propter castra praetergressus), in qua et Caesar et Cicero in simplici accusativo ponendo acquieverunt (Cic. Fam. 3, 7: *te iam castra praetergressum esse*) ut auct. b. Afr. ipse 69, 1: ‚cum iam non longe a castris Scipionis abesset, quae eum necesse erat praetergredi'.

8. *Sub* (Froehl. p. 19). Praepositionem praetulit auctor b. Afr. simplici dativo in verbo ‚subdere' struendo, cum scriberet 84, 1 sub pedem subditum, ut Cato de re r. 84 *subdere sub textum*, sed ceteri scriptores, quod ex lexicis cognoscam, ad unum omnes dativum usurpaverunt.

Optime vero quo studio fuerit auctor b. Afr. incensus, ex hominis scilicet de plebe natura, praepositiones casibus anteferendi conspicitur ea, quam et ille et Caesar in verbo defatigandi construendo secutus est, ratione comparata. Legitur enim apud Caesarem: b. gall. 7, 41 *adsiduo labore defatigare;* ibid. 7, 48 *et cursu et spatio pugnae defatigati;* ibid. 1, 40 *diuturnitate belli defatigatis Gallis;* b. civ. 3, 85 *exercitum cotidianis itineribus defatigare;* contra in b. Afr. 32, 2 ‚tirones in labore defatigare'; 75, 4 ‚milites sub onere

et sub sarcinis defatigati'; 18, 4 ,ex nausea recenti . . . defatigata'; 71, 3 ,militem defatigabat propter velocitatem'.

9. *Versus, versum.* Quod auctores et b. Afr. et b. Hisp. in harum praepositionum usu in universum pleniore forma ,ad . . . versus', quae apud Caesarem uno loco, apud Ciceronem nusquam, sed apud Varronem, Sallustium, Coelium (ap. Cic. Fam. 8, 15, 2) reperitur, magis delectati sint, non est cur miremur, quoniam id cum tota eorum scribendi ratione bene congruit. Offertur autem ,ad . . . versus' b. Afr. 8, 3. 23, 3. 37, 2. 62, 2. 80, 3; b. Hisp. 10, 3. 11, 1; ,versus' b. Afr. 7, 3. 24, 3. 63, 3. 87, 1; b. Hisp. 20, 1. Locutio ad mare versum b. Hisp. 18, 5 (b. Afr. 80, 3 ,ad mare versus') ad formulam redit antiquam *ad mare vorsum,* quae iam anno 100 a. Chr. n. apud iurisconsultos, postea in inscriptionibus (Wilm. 697) invenitur, atque uno eo loco, ubi ,ad . . . versus' Caesar admisit, b. gall. 6, 33 legitur *ad Oceanum versus.* Ceterum ,versum' antiquiorem formam a plebe servatam esse verisimile est, cum et Caesar et Cicero eam contemserint; postremo procul dubio sermonis plebei proprium esse usum suspicari licet ,versum' substantivo anteponendi, cuius Neuius II² 794 unum exemplum affert ex Inscr. Grut. 690, 5 *illic unde Tagus et nobile flumen Hiberus vorsum ortus vorsum occasus fluit alter et alter,* sed ne b. Hisp. quidem auctorem eum reiecisse discimus ex c. 21, 3 ,reliquos versum oppidum iussit deduci'.

10 *Fine* praepositionis loco ponitur rarissime, primo autem ut videtur apud Catonem invenitur de re r. 113 *ansarum infimarum fini;* ib. 28 *radicibus fini;* postea b. Afr. 85, 1 umbilici fine; ap. Sallustium hist. III 77 D *fine inguinum* (quem locum in lexicis non exstare Kuehnastius p. 174 frustra indignatur, cum Freundius in suo lexico eum exhibeat); ap. Livium 30, 1, 10; Ovid. Pont. 1, 4, 18, Halieut. 120; Hygin. Astron. 272; fab. 92; Iustin. 30, 4, 6; Augustin. civ. Dei 5, 13; 20. Catonis exemplo, raro usu, Italicae denique linguae testimonio, in qua *fino* item praepositionis vice adhibetur (,battere fin' alla morte'), e sermone Romanorum plebeio scriptores hoc sumpsisse mihi quidem probatur.

C. De coordinatione et subordinatione.

1. De coordinatione.

Cum Froehlichius satis copiose de hac parte disputaverit, unum tantummodo locum mihi sumo pluribus illustrandum, scilicet ut nonnullis exemplis exponam, quae sit *asyndeti* ratio in duobus vocabulis sibi oppositis. Nam pro iis, quae Froehlichius dicit p. 35: ‚Auffallend ist b. Afr. 78, 2 das dextra sinistra, während das copulative ‚que‘ nicht fehlt 70, 3 dextra sinistraque‘, potius erat iudicandum ad cotidiani sermonis consuetudinem illam locutionem aspirare, in quo plurima asyndeta, quae prisci sollemnisque erant dicendi generis propria, diutissime retinebantur. Velut ‚dextra sinistra‘ primo fonte ex Catone repetendum est de re r. 21 (ter); e Cicerone laudat Draeger II 193 or. Phil. 13, 9, 19 (cf. Acta, p. 105), acad. 2, 40, 125, ad Att. 13, 52, 2; sed unum Vitruvium sex locos (1, 5, 4. 1, 6, 13. 5, 6, 3. 9, 8, 4. 10, 4, 6. 7) nobis suppeditare adhuc neglectum esse videtur, id quod non miror, quoniam editores in sex illis locis correxerunt ‚dextra ac sinistra‘. Qua in re eos errasse iam ideo certum est, quod, cum 1, 6, 13 et 9, 8, 4 eadem sit formula *signandum dextra sinistra ubi erunt litterae G H*, profecto satis esset mirum cur librarius in hac ipsa formula constanter peccasset; porro in codice Leidensi, qui 1, 6, 13 exhibet *ac*, 5, 6, 3 ‚dextra sinistra*que*‘, quae formula a Vitruvii scriptura prorsus abest, quamobrem editores scilicet, qui in priore loco illum secuti sunt, hic deserentes *ac* scripserunt, manifesto interpolatoris manus deprenditur.

Eidem Vitruvio 5, 5, 2 probatum erat etiam asyndeton *ultro citro*, quo spreto iam Cato 23, 17 Iord. et auctores b. Afr. 20, 1. 82, 1 et b. Hisp. 22, 3 ‚ultro citroque‘ dixerunt, quamquam ne Cicero quidem n. d. 2, 33, 84 nec Livius priscam formam evitaverunt, cuius apud posteriores creber fit usus.

Vestigia denique antiqui asyndeti indagasse mihi videor in locutione semel et saepius b. Hisp. 42, 4, quam hic scriptor et Apuleius met. 7, 3 *(semel ac saepius)* usurpat eadem sententia, qua Caesar ceterique *semel atque iterum*. Neque enim dubito, quin naturalis ac principalis forma sit, cuius

vetustas etiam allitteratione comprobatur, quae legitur in aquae ductus cuiusdam inscriptione ap. Wilm. 784: ‚*reficere reponere restituere resarcire semel saepius*‘. Alludit ad eandem formulam Cic. Phil. 2, 21, 52 *neque semel sed saepius* et carm. sepulcr. ap. Wilm. 574, 18 *nec semel sed saepius*. Utique auctorem b. Hisp. ut illa uteretur suo plebeii sermonis studio impulsum esse concedetur. Cf. *semel et semel* in versibus triumphalibus ap. Aurel. Victor. 7.

2. De subordinatione.

De enuntiatis substantivis. Particula quod post verba sentiendi et declarandi pro *accusativo cum infinitivo* posita etsi in prisco sermone (Plaut. Asin. 1, 1, 37 *equidem scio iam filius quod amet meus,* quem quidem locum non omnes eodem modo interpretantur) offerri putatur, tamen fortasse coniectura illicita non est, mature in sermonem plebeium hunc usum irrepsisse temporibusque decursu ita invaluisse, ut, cum romanicae linguae inde existerent, accusativi constructio prorsus iam evanuisset. Qui usus in commentario de b. Hisp. ter, si recte intellego, invenitur. Atque unum quidem locum Draeger II 223 enotat 36, 1 ‚renuntiaverunt, quod Pompeium in potestate haberent‘. Cui mea sententia addi potest alter b. Hisp. 18, 5 in codice Leidensi ita scriptus: ‚Insequenti tempore duo Lusitani fratres transfugae *nuntiarunt, quae Pompeius* contionem *habuisse*‘; deteriores exhibent ‚nuntiarunt*que Pompeium* ... habuisse‘; editores scripserunt ‚*quam* Pompeius contionem habuisset‘. Sed cum primum Caesariani omnino nondum contionem habuisse Pompeium rescissent, quare non qualis illa fuisset, sed fuisse nuntiandum erat, tum auctor b. Hisp. ‚nuntiare‘ numquam cum enuntiato interrogandi obliquo coniunxerit, verisimilius mihi quidem videtur esse, in illo ‚quae‘ vel ‚que‘ latere particulam ‚quod‘, ab interpolatorum aliquo, quorum genus in hoc commentario misere grassatum est, propter insolentiam structurae correctam. Legerim igitur: ‚nuntiarunt quod Pompeius contionem habuisset‘. Postremo huc referri debet 10, 2 ‚suo loco praeteritum est, quod equites ad Caesarem venissent‘. (Nipperd. prol. 27). Exempla posteriorum scriptorum collegit Draeger II 2 p. 223 sqq.

De iubere ut b. Hisp. 27, 4, imperare cum accus.

c. inf. b. Afr. 11, 2; b. Hisp. 33, 4 cf. Draeger l. l. 235 sq., Acta p. 156. Coniurare ut b. Hisp. 26, 3. 36, 4 locis omnino primis legitur, sed Plautinus (Merc. 536) simplex coniunctivus viam nobis monstrat, ut e vulgari sermone id sumtum esse existimemus (Draeger II 242). — Animadvertere ut b. Hisp. 36, 2 (Nipperd. prol. 26) frustra Kochius in Mus. Rhen. XVII p. 627 corrigere infinitivo ‚fore‘ addito conatus est: neque enim ipse Cicero in epistulis illa constructione abstinuit. (Fam. 5, 20, 5: *illud me non animadvertisse moleste ferrem, ut ascriberem etc.*) — Orare c. inf., quae constructio inde a Plauto Mil. 1405 poëtis in usu erat (Draeger II 310), cum apud auctorem b. Hisp. 13, 5 idem exstet, plebi quoque placuisse demonstratur. — Animo habere (= in animo habere) cum infinitivo (Pompeius in b. Hisp. 26, 7) cotidiani sermonis esse docent exempla a Draegero II 306 allata Cic. pr. Rosc. Am. 18; Servius ap. Cic. Fam. 4, 12, 2 aliaque. — Usu venire cum infinitivo, quod in Draegeri non venisse notitiam videtur, quoniam is II 230 tantummodo ‚usu venit, ut‘ profert, invenitur b. Afr. 57, 3 ‚Usu venisse hoc civi Romano . . . . . incolumi patria fortunisque omnibus Iubae barbaro obedientem fuisse etc.‘

Consuetus cum inf. b. Afr. 73, 2. b. Hisp. 25, 2 ab optimorum scriptorum consuetudine recedere Draeger II 335 iudicat.

Pars III.

De elocutione.

A. De abunduntia sermonis.

Ut saepe fieri inter omnes constat, ut scriptores vel elegantissimi oratorii ornatus numerorumque causa copiosiorem orationem plenioremque quam solius rationis leges flagitant conforment, ita ne hoc quidem a quoquam video negari, de plebe homines quam clarissime atque efficacissime id quod sentiunt exprimendi studio ductos abundantiam quandam sermonis captare, quae quidem ab illo oratorio ornatu diversissima in molestas verborum ambages haud raro exit. Sunt autem duo abundantiae genera, etiam in commentariis de b. Afr. et b. Hisp. obvia, quorum alterum id intellego, quo duo

vocabula ita sunt coniuncta, ut altero omisso nihil detrahatur de sententia; alterum, quo neutrum quidem verbum potest desiderari, sed in notione unius alteriusve inest, quod redundantiam sententiae efficiat. Ac prius quidem genus brevitatis causa appellare mihi liceat ,abundantiam verborum', alterum ,abundantiam sententiae'. Quamquam permulta, quae adhuc disputata sunt, velut de comparativi, pronominum, praepositionum usu, huc spectant, restant tamen quae digna sunt memoratu.

1. De abundantia verborum.

a. *Synonymorum copulationis per particulas ,que', ,et', ,ac' effectae* cum ex b. Afr. iam Froehlichius p. 17 satis multa exempla collegerit, ego paucis additis defungar.

Substantiva: b. Afr. 88, 2 animum mentemque; b. Hisp. 16, 5 facinus nefandum et scelus; ibid. 29, 4 diei solisque serenitas; ibid. 29, 5 res fortunaeque, ibid. 42, 6 fasces imperiumque. — Adiectiva: b. Hisp. 25, 6 avidi cupidique; b. Afr. 90, 4 libentes cupidique; b. Afr. 56, 3 inlustriores notissimique. — Verba: b. Afr. 26, 5 ,oculos mentemque ad mare dispositos directosque habere'; ibid. 76, 3 ,idem facit Scipio atque reducit'; ibid. 87, 5 ,Idem Sulla Faustus fecit ac . . . largitus est'. Quibus locis comparatis equidem b. Hisp. 4, 5, ubi Nipperdeius, cum in codicibus scriptum sit: ,Itaque (= et ita) facit *ut* Ulia prope capta litteris fratris excitus cum copiis ad Cordubam iter facere coepit', particulam ,ut' seclusit, legendum esse censeo ,Itaque facit *et* . . . iter facere coepit'.

b. Ex eis *verbis, quae,* cum sint eiusdem generis ac notionis, *sine particulis copulantur,* huc retulerim maxime adverbia et similes his locutiones: b. Afr. 31, 2 ipse per se coram; b. Hisp. 35, 4 ,rursus denuo recipitur' (plane geminum versui Plautino Poen. prol. 79:

Revortor rursus denuo Carthaginem

et Casin. prol. 33); b. Hisp. 41, 4 ,tum praeterea accedebat'; ibid. 23, 3 ,hic tum' (ut Cic. Verr. 1, 66; cf. Acta p. 165 sq.).

Item abundantiae tribuendum est, quod aut substantivo cum praepositione iuncto aut participio adverbium a pronomine plerumque ductum additur, quo idem fere designatur, cuiusmodi sunt loci: b. Hisp. 14, 2 ,item eadem consuetudine';

b. Afr. 17, 1 ,alternis conversis cohortibus ut altera ante altera post signa tenderet, ita . . dividit' (cf. Vitruv. 4, 23 ,attendens, ita', Rebl. p. 16 et *οὕτως* participiis subiunctum); b. Hisp. 39, 1 ,saucius et intorto talo idcirco tardabatur ad fugiendum'; ibid. 29, 7 ,aequitas loci adversarios efflagitabat, ut tali condicione contenderent ad victoriam'. Sed longe frequentissima est in hoc genere *duplex locorum significatio*, veluti b. Afr. 88, 3 intro in cubiculum; b. Hisp. 32, 6 ,Pompeius . . Carteiam contendit. Quo cum ad octavum miliarium venisset', et q. sq.: qua cum dicendi ratione apte comparari potest Naev. 71 *hic in theatro;* Caec. 33 *huc in meam navem;* Afran. 137 *huc ad molem;* Pacuv. 99 *ibi sub eo saxo;* Vitruv. 5, 6, 1 *ea regione . . . ibi*; Apul. met. 6, 5 *illic in domo;* 9, 6 *ibi in ipso subterraneo;* Flor. 1, 6 *iisdem Indis ibidem;* met. 6, 12 *inde de fluvio.* Corp. Inscr. I 1027 *hospes resiste et hoc ad grumum ad laevam aspice;* Wilm. Ex. inscr. 251 *huc ad alogiam veniatis.* Cf. Vitruv. 4, 6, 1 *quae supra antepagmentum superius imponitur.*

c. *Abundantia attributi* cognoscitur in his potissimum exemplis: b. Hisp. 1, 5 ,maiores augebantur copiae'; ibid. 2, 1 (ex egregia Duebneri emendatione) et 38, 6 ,celeri festinatione', cui compares Cic. fam. 7, 8 *praepropera festinatio;* Liv. 31, 42 *praepropera celeritas*, etsi in his inest vituperatio quaedam; Apul. met. 2, 20 *praepeti celeritate,* id. Ascl. 3 *praecipiti rapacitate,* ibid. *celeri velocitate,* ibid. 9 *celeri cupiditate festines*, de mundo 16 *ignis celeritate cursum rapidae festinationis ostendit.* Notandum denique ex b. Afr. 71, 1 ,eiusmodi genera', et ibid. 19, 5; 23, 1; 36, 1 ,cuiusquemodi generis', quemadmodum etiam Varro de ling. lat. 9, 20 et Sallustius Catil. 39 dixerunt. Cf. Nipperd. p. 19 et Arnob. 2, 45 *tales atque huiusmodi.*

d. *Adverbia verbis cumulate adiuncta.* Pertinent huc primo loco verba cum praepositione ,prae' composita, cuius vis ac significatio adeo paullatim obscurata esse videbatur, ut temporis notio haud raro additis verbis ,prius' vel ,ante' redintegraretur. Cf. b. Afr. 50, 4. 86, 5; b. Hisp. 4, 2 ante praemittere (Froehl. p. 18), cui similia suppeditabant priscae aetatis poetae, Plautus Casin. 2, 8, 12 *praemittam prius,* Ter. Andr. 239 *praescisse ante,* Lucret. 5, 738 *praespargens ante,* 5, 736 *praenuntius ante,* 6, 864 *prae-*

cepimus ante. Ceterum ne alios quidem scriptores ab hoc dicendi genere abhorruisse multis exemplis demonstrari potest; velut Liv. 21, 20, 8 *ante praeoccupare,* 21, 23, 7 *prius praecipere.*

Similem rationem sequuntur verba cum ,re' composita, quippe quibus praesertim in sermone vulgari aut ,retro' aut ,rursus' adiungatur. Itaque legitur b. Afr. 11, 3. 32, 2. 76, 3 rursus redire, quamquam minime de altero reditu agitur, b. Hisp. 40, 8 ,rursus recurrere'; b. Afr. 25, 5. 33, 4. 63, 6. 85, 2 ,rursus se recipere' (30, 1 idem iusta causa); ibid. 14, 3. 18, 2 ,rursus renovare' (Froehl. p. 18); b. Hisp. 25, 8 ,in receptu, dum redeunt'.

Quibus cum locis conferantur Ciceronis or. pr. Rosc. Am. 40 *rursus reverti* (Acta p. 166 sq.), Livii 1, 33, 3 *rursus repetere,* 22, 6, 7 *retro repetere,* 24, 20, 3 *retro . . redire,* 21, 52, 10 *rursus restituere* (Kuehnast 274), 37, 19, 5 *instaurare novum de integro bellum,* Vitruvii 5, 10, 2. 10, 13, 4 *rursus redire,* 7, 5, 7 *contra respondere,* 9, 4, 6 *regressus retrorsus facere,* 10, 6, 14 *rursus retroducere,* 10, 13, 3 *rursus introrsus reducere,* 10, 22, 9 *retrorsus se recipere,* Apulei met. 1, 19 *rursum remeare,* 6, 19 *rursus remeare,* 10, 10 *rursus revalescere,* id. de mund. 22 *rursus reseratur,* met. 3, 6 *retro reflexum* (cum Hildebrandi adnotatione).

Huc proxime accedunt haec: b. Afr. 50, 3 ,ultra procedere', b. Hisp. 29, 8 ,propius adpropinquare', ibid. 30, 1. 41, 4 ,praeterea accedere', b. Afr. 39, 2 ,propere occurrere', 74, 3 ,celeriter accurrere'. Cf. Plaut. Mil. 422 *cito transcurre curriculo ad nos,* id. Stich. 2, 2, 13 *ita celeri curriculo fui propere a portu* (Brix ad Plaut. Mil. 522); Terent. Heaut. 733 *curriculo percurrere,* Ad. 353 *propere curre;* Afranius 294 *curre cursim;* Pompon. 125 *obviam occurrere;* Liv. 22, 6, 4 (Fabri) ,se infesto venienti *obviam obiecerat*'. B. Afr. 22, 1 ,assiduo obiurgare non desistere'. Locutio necessario cogi b. Hisp. 24, 3. 32, 1 primum invenitur apud Terentium Andr. 632; qua ne Caesar quidem abstinuit, sed in commentariis tantum de b. civ. admisit 1, 40. 3, 49. 78; item Hirt. bell. gall. 8, 43. Ei abundantiae, quam in b. Afr. 21, 1. 24, 4. 55, 2 deprendimus necessitate coactus, Cicero quoque priore aetate indulsit (Verr. 3, 72: *re necessaria coactus),* sicut etiam ap. Vitruvium legitur 5, 6, 7.

7, 1, 2. 5 *necessitas cogit,* 8 praef. 1 *necessitate coacta.* Pari modo Cornelius Nepos repetit Terentianum *cogi ingratiis* (Heaut. 446) Them. 4, 4 *Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur.*

e. *Verba cum verbis abundanter coniunguntur* b. Afr. 16, 3 ,neque amplius facere nisi hostium iacula vitare'; b. Hisp. 3, 7 ut sileat verbum facere (Nipperd. prol. 25).

f. *Substantiva in enuntiato relativo repetita.*

Cum apud omnes scriptores, qui elegantiae orationis parum student, neglegentia quadam scribendi eadem vocabula brevi interposito intervallo iterari solent, tum ex sermone prisco fluxisse statuenda est substantivorum in enuntiatis relativis repetitio. Hunc usum, cuius apud optimos praeter Caesarem latinitatis auctores rariora inveniuntur exempla, veluti in magistratuum formulis ,dies quo die, bellum quo bello', in commentariis nostris latius patere manifestum est. Cf. b. Afr. 23, 1 ,ad oppidum Ascurum accedere coepit; in quo oppido etc.'; ibid. 80, 5 ,signum observare, quo signo dato'; b. Hisp. 5, 4 ,contentio . . . . ex qua contentione' coll. 42, 3 ,commoda provinciae tribuisse; eorum omnium commodorum immemores etc.' Idque dicendi genus praecipue vulgo fuisse adamatum ex Vitruvio cognoscitur, cuius hos adscripsi locos: 4, 1, 9 *cauliculos . . . . . cuius cauliculi;* 4, 3, 3 *modulus . . cuius moduli* etc.; 8, 3, 15 *fons, ex quo fonte . . . . ad quem fontem;* 9, 9, 7 *virgulam, ex qua virgula;* 10, 14, 6 *foramina fiant, in quibus foraminibus.*

2. De abundantia sententiae.

In eis, quae leguntur b. Hisp. 18, 5 ,signum fugae ostendere' (Nipp. prol. 25; contra Caes. b. civ. 1, 71 *timoris signa mittere*); ibid. 29, 2 ,hinc dirigens proxima planities aequabatur' substantivi notio in verbo repetitur. Cf. Apul. Flor. 1, 3 *maximam speciem prae se ostentare.*

Ante omnia ad hoc genus pertinent *circumlocutiones* verbis esse, facere, habere, coepisse effectae, quarum satis magnum numerum in b. Hisp. potissimum inveniri a nonnullis animadversum est.

a. Esse. Quo maxime in pronominibus interrogativis et indefinitis uti solemus dicendi genere (quis est qui? frg. qui

est-ce qui? sunt qui, ἔστιν οἵ), id transtulit auctor b. Hisp. et ad substantivum ,pars' (37, 1 pars erat, quae legatos ad Caesarem miserat, pars erat, qui Pompeianarum partium fautores essent') et ad nomina propria (3, 1 erat idem Sex. Pompeius, qui cum praesidio Cordubam tenebat'). Cum autem Caesar talibus circumlocutionibus abstinuerit (b. Gall. 2, 23. 7, 28; b. civ. 3, 27 *pars* . . . . *pars* . . . .), vulgari maxime sermoni propriae fuisse videntur.

Magis etiam digna memoratu atque ad rariorem dicendi rationem referenda est *coniugatio periphrastica*, quae dicitur, participio praesentis et verbo auxiliari ,esse' formata. Quod autem huius generis in b. Hisp. reperitur exemplum (c. 29, 2 ,rivus, qui . . currens erat') cum iam a Draegero I 267 sit commemoratum [4]), quaerendum de natura atque origine huius constructionis. Ac sunt qui scriptores Latinos Graecum morem imitatos esse iudicent; afferet tamen aliquid ad veram eius rationem cognoscendam, si monuero apud Vitruvium, qui in universum ita erat participiorum praesentis amator [5]), ut verbi ,habere' omnes fere participii praesentis, quod plerumque evitatur, formae se offerant, inter quas ,habens' tricies, ter ,habentia', pro amplitudine eius librorum admodum multos exstare locos, qui huc faciant: 1, 1, 11 *cum tanta haec disciplina sit condecorata et abundans eruditionibus;* 2, 2, 5 *Phryges, qui campestribus locis sunt habitantes;* 2, 8, 9 *de latericiis dummodo ad perpendiculum sint stantes*; 2, 9, 6 *ut est patens;* 2 praef. 2 *ad posteritatem sunt permanentes;* 5, 4, 5 *sonitus, . . . e quibus VIII sunt in tribus generibus perpetui et stantes, reliqui . . . sunt vagantes; stantes autem sunt, qui . . . suis finibus sunt*

4) Prima exempla praebent comici, velut *ut sis sciens* Plaut. Poen. 5, 2, 78. Ter. Andr. 508 (cf. Ruhnkeni adnot.), 775, saepius; *solens sum* Plaut. Truc. 1, 2, 29; deinde Cato de re r. praef. *minime . . . male cogitantes sunt;* porro tria ex Cicerone laudantur, sed nullum ex orationibus, unum ex Ovidio, duo ex Livio, singula ex Seneca et Gellio, tria ex Apuleio, unum ex Arnobio.

5) Cf. 7, 5, 3: item candelabra aedicularum *sustinentia* figuras, supra fastigia eorum *surgentes* ex radicibus cum volutis coliculi teneri plures *habentes* in se sine ratione *sedentia* sigilla, non minus coliculi dimidiata *habentes* sigilla alia humanis alia bestiarum capitibus.

permanentes; 5, 7, 8 *Secundum ea loca versurae sunt procurrentes;* 7, 1, 7 *calx quae erit haerens in canalibus;* 7, 2, 7 *sunt perpetuo permanentes;* 7, 3, 4 *non erit displicens;* 7, 11, 2 *gleba silis boni coquatur, ut sit in igni candens;* 8, 1, 1 *si erunt fontes aperti et fluentes;* 8, 1, 7 *si quae sunt aquae apparentes;* 8, 2, 7 *quod ex altera parte montis Atlantis sunt alia capita item profluentia ad occidentem oceanum;* 8, 3, 15 *in Thessalia fons est profluens, ad quem fontem proxime est arbor florens purpureo colore*; 8, 7, 10 *haec autem dicitur esse nocens corporibus;* 9, 4, 11 *solis splendor perspicibilis et patens sine ullis obscurationibus est per omnem mundum;* 9, 4, 16 *pilam esse ex dimidia parte candentem;* ibid. *quod candens non sit;* 9, 6, 1 *candens magis spica eius est;* 9, 7, 1 *quae sunt supra scapulas peraeque sunt lucentia*; 9, 7, 2 *quae sunt circa gubernacula eminentia;* 10, 22, 1 *quod differentes sunt munitiones munitionibus.*

His exemplis propositis suspicari me non nego, minus de graeci sermonis imitatione quam de vulgaris latini usu esse cogitandum.

b. Facere. Plebis maxime esse constat apud omnes nationes omnibusque in linguis eo verbo, quo actionis notio summatim generatimque exprimitur, velut apud Romanos ‚facere', apud nostrates ‚machen, thun', ita in circumscribendo uti, ut addatur vocabulum, sive substantivum verbale sive alius generis, quo species agendi significatur. Quare per se intellegitur hoc circumlocutionis genus in vulgaribus potissimum scriptoribus inveniri: quamquam ne sublimius quidem dicendi genus ab illa plane fuisse alienum Hellmuthius (Acta p. 140 sqq.) demonstravit, qua tamen in re id quam maxime debet animadverti, ad eas Ciceronis orationes, quas et ineunte aetate et nondum exculta oratoria facultate habuit, illam abundantiam fere totam esse restringendam.

Sed ut ad commentarios de b. Afr. et b. Hisp. transeam, ex b. Hisp. inprimis largam affluere nobis exemplorum copiam nuper Fleischer pgg. 16 et 26 recte observavit, quare mihi nihil aliud restat nisi ut augeam ea b. Afr. exemplis additis et illustrem aliorum ex aliis scriptoribus petitorum similitudine.

Caedem facere b. Hisp. 15, 3. 16, 3 (pass.). 23, 7. 37, 2.

41, 1 (pass.) per se neminem offenderet, sed iure hanc quoque locutionem huc referri testimonio est, quod verbum simplex ‚caedere' auctor b. Hisp. omnino removit.

Concursum facere b. Hisp. 22, 4. 23, 6; concursus f. ibid. 25, 2. Primum quidem simplex ‚concurrere' et ipsum in b. Hisp. plane deest; deinde boni scriptores ‚concursus facere' non usurpant nisi passiva constructione; denique ‚concursum (concursus) facere' locutio reperitur illa quidem et apud Ciceronem (pro Deiot. 28 *quot concursus facere solebat, quam se iactare!*) et apud Livium (27, 7 *isque cum agmine captivorum ingressus urbem magnum concursum hominum fecit)*, sed non concurrendi, sed concursus excitandi sententia illis locis inest. Conferatur Vitruv. 9, 4, 11 *tum non progrediuntur, sed regressus facientes morantur;* ibid. *cum faciant eae stellae regressus et morationes;* 10, 8, 2 *facit egressus in altum.*

Item Caesar tantummodo admisit *deditione facta* b. gall. 2, 33. 3, 3, ut ipse auct. b. Hisp. scripsit 27, 5 et 20, 1 deditionem oppidi esse factam; sed ibid. 36, 4 deditionem facere legitur.

Eruptionem facere quamquam ne hoc quidem a Caesariana abhorret consuetudine, tamen propterea notandum est, quod cum ‚erumpere' uno loco 36, 3 adhibuerit auctor b. Hisp., illius exiguo interiecto spatio repetitus usus (3, 8. 12, 5. 6. 16, 1. 2. 34, 5. 36, 2) etiam molestiam ac taedium affert legentibus.

At iactus facere b. Hisp. 9, 3 pro ‚iacere', quod ego sciam, nullo loco illustrari potest. Item iugulationem facere (b. Hisp. 16, 5 iugulatione facta; ibid. 16, 6 iugulationem magnam facit) testimonio caret [6]), sed comparatio prona est cum Catonis *trucidationem facere*, *succidias facere* (p. 39, 15 Iord.), deinde cum eis locutionibus, quas apud Ciceronem iuvenem deprendimus: Verr. 3, 125 *interitio facta est;* Caec. 41 *caedes et occisio facta est* (Acta p. 141) [7]).

---

6) Ipsum substantivum b. Hisp. 18, 8 ‚de iugulatione indignari' solum apud Tertullianum de anim. 25 inveni; *iugulator* ap. Salv. ad Eccles. 3 et in Gloss. Philox.

7) De ipsis vocabulis ‚interitio' et ‚occisio' cf. b. Hisp. 24, 6 interitio litata est; Vitruv. 2, 2, 1 interitionem recipere; id. 8 praef. 1

Impressionem facere (b. Afr. 78, 3. Hirt. b. gall. 8, 6) primo apud Varronem de re r. 2, 4, 1, postea apud Livium 4, 23. 8, 9. 25, 37 offertur (cf. *reversionem facere* ‚Kehrt machen' Varr. ap. Non. 245, 15).

Cum auctoris b. Afr. salutationem facere (85, 6) conspirant Livius 1, 1, 9 *inde foedus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam* (sed passive dictum esse monendum est) et Vitruvius 4, 5, 2 *in conspectu salutationes facere.*

Pariter exemplum locutionis transitionem facere (b. Hisp. 26, 3 ut transitionem facerent) a Vitruvio est repetendum, apud quem 9, 4, 11 legimus: ‚cum idem sol de eo trigono in aliud signum *transitionem fecerit*'. Denique comparentur hae locutiones: Vitruv. 7, 14, 2 *imitationem facere;* id. 9, 4, 11 *morationes facere;* Wilm. Exempl. 249 *lesionem facere* (cf. Guericke p. 60), ibid. 917 *relationem facere.*

Saucium facere pro ‚sauciare' b. Afr. 70, 5 ‚sauciis X factis' legitur ap. Plaut. Pers. 1, 1, 24; Caton. frg. 19, 9 Iord.; Cic. pr. Tull. 56 (Acta p. 141) et apud Ovidium trist. 1, 1, 75 sq.:

Terretur minimo pennae stridore columba
Unguibus, accipiter, *saucia facta* tuis.

Missum facere militari significatione ‚verabschieden' vel (in captivis) ‚entlassen' intellegendum praebet b. Afr. 54, 5; b. Hisp. 12, 3. 13, 5, qua locutione cum primo comici usi sint (cf. Meissner ad Terent. Andr. 650; Draeger I 270), ne Cicero quidem abstinuerit pr. Sest. 66; Phil. 5, 19 (Acta p. 141): tamen eam Caesarem ab eleganti scriptura removeri voluisse inde coniecerim, quod in commentariis ille quidem numquam usurpavit, sed in epistula ad Oppium missa ei indulsit (ap. Cic. Att. 9, 7 C. 2: ‚N. Magium Pompei praefectum deprehendi: scilicet meo instituto usus sum et statim *missum feci*'.

Huic denique generi id quoque tribuendum est, quod constanter vulneribus adficere posuit auctor b. Hisp. 9, 3. 12, 4. 15, 4. 16, 4. 23, 2 et 8, numquam ‚vulnerare' (Nipperd. prol. 27).

---

interitiones recipere; Arnob. adv. gent. 1, 62 interitionis dissolutione dilabi; Aurel. Victor. 14 occisione perierunt; Tertull. de resurr. carn. 35 adeo hic et animae immortalis natura recognoscitur, quae non possit occidi ab hominibus, et carnis esse mortalitatem, cuius sit occisio.

c. Habere. Recte se habent, quae leguntur b. Afr. 26, 5 ,oculos mentemque dispositos directosque ad mare habere'; ibid. 71, 3 ,hostium levis armatura anxium nostrum exercitum atque sollicitum habebat' (cf. Caes. civ. 3, 33; Cic. de sen. 19, 66); b. Hisp. 19, 3 ,dixitque se cum familia constitutum habuisse, ut transfugerent'; ibid. 22, 8 ,neque sibi ullam spem victoriae propositam habere': sed singuli in utroque commentario inveniuntur loci, de quibus disserere par est, cum in duobus locutionibus, quae plerumque verbo ,esse' formantur, hic ,habere' in eius locum cesserit. Atque in b. Afr. quidem huc pertinet 39, 2 necesse habere, quod cum apud Terentium, in prioribus tantum Ciceronis scriptis (Acta p. 171) et in epistulis, apud Vitruvium, Petronium, Senecam rhetorem (exc. 6, 3), Augustinum (de civ. Dei 19, 17. 27. 21, 6) occurrat, ad cotidianum sermonem adspirare nuper Reblingius p. 25 intellexit apteque Columellae *opus habere* comparavit. Iam idem iudicandum esse puto de b. Hisp. 29, 3 dubium habere; nam hoc quoque a comicis fontem ducit, semel Ciceroni excidit (Acad. post. 9), Sallustio denique antiquitatis amatori probatum est (hist. III 22). Quanto autem opere quantoque studio homines plebei in verbo ,habere' versati sint, etiam ei, qui priores tantummodo Vitruvii librorum paginas perlegerit, necessario sub adspectum cadit: 1. praef. 2 et 3 *curam habere*, 3 *timorem habere* pro eo, quod est ,in timore esse' (cf. frg. *avoir peur*); 1. praef. 3. 1, 8. 16 bis *notum habere;* 1, 1, 4 *scientiam habere; summum effectum habere;* ibid. *principatum habere* (Cic.: tenere, obtinere); 17 *scientias habere; ingenia habere;* 2, 9, 12 *abundantiam habere, utilitates habere, virtutes habere;* 5, 4, 6 *distantias habere crescentes;* 6, 1, 6 *stupentes habent mentes;* 8, 1, 2 *saporem habere* etc. Ceterum cf. Lorenzii adnot. in Plauti Pseudol. v. 581.

d. Coepisse. Saepius quam ullus scriptor Latinus (Fleischer p. 13) auctor b. Hisp. verbum ,coepisse' ita addidit simplici verbo, ut non initium actionis praecipue efferret, sed idem fere, quod apud Graecos aoristus valet, exprimeret. Plurimos locos (3, 2. 6, 3. 9, 2. 4. 10, 3. 12, 5. 6. 13, 1. 6. 15, 3. 5. 6. 22, 4. 23, 6, 25, 3. 27, 5. 31, 4 bis 5. 32, 2. 33, 2. 34, 1. 2. 35, 4. 36, 4. 37, 1. 2. 40, 7) cum Fleischer l. l. enotaverit, ego in addendis acquiesco his: 1, 1 Pompeius . . .

in fidem uniuscuiusque civitatis confugere coepit; 4, 5 ad Cordubam iter facere coepit; 5, 3 brachium ad pontem ducere coepit; 13, 4 ad murum opus facere coeperunt; 14, 3 longius, quod . . . prosequi coepissent; 20, 1 munitionibus se continere coepit; 23, 1 brachium ad flumen Salsum ducere coepit; 23, 5 cum eius compar . . . . . . proelium facere coepisset; 24, 1 Nostri brachia ducere coeperunt; 25, 2 equitum copiae concursus facere coeperunt; 34, 2 discordare coeperunt; 34, 4 oppidum incendere coeperunt; 39, 3 Pompeius in speluncam se occultare coepit.

Cum apud Ciceronem in prioribus tantum orationibus hanc abundantiam deprendamus, Petronius vero, qui ipse quoque in narrandi genere versatur, illud verbum ubique inculcaverit, velut, ut paucis defungar, c. 8. 9. 11. 12. 14. 15. 19. 22. 26. 27. 29. 30. 33. 34 legitur, non dubito quin nemo repugnet illum usum vulgari assignare sermoni, praesertim cum apud nos quoque plebem similem circumlocutionem verbo ‚thun' effectam magno studio amplecti non ignotum sit.

B. De orationis brevitate.

Pervulgatissimum illud ‚res maxime contrarias proximas inter sese esse' ut in omnis vitae usu multum valet, ita linguae quoque ratione, uniuscuiusque plebei potissimum sermonis confirmatur, cum iidem modo sententia satis perspicua multorum verborum ambagibus explananda atque illustranda delectentur, modo ne tot quidem verbis, quot ad explendam sententiam a ratione requiruntur, utantur. Ab hoc autem genere neque auctor b. Afr. neque b. Hisp. scriptor alieni erant, quorum commentarii et *detractionis* (ἐλλείψεως) et *breviloquentiae* ab usu aliorum scriptorum recedentis exempla praebent. Atque eorum, quae ex b. Afr. commentario huc spectant, quoniam satis magna copia est a Froehlichio p. 22 sq. collecta, superest, ut ego et haec ad meam vulgaris sermonis inquirendi rationem revocem et b. Hisp. exempla, quae aut singularia aut illis similia inveni, adiungam.

1. De substantivi detractione.

a. *Adiectiva absolute posita.* Pro rectâ scil. via (b. Afr. 18, 1. 40, 2; b. Hisp. 3, 6) Caesar b. civ. 1, 69

scripsit *recto itinere;* contra illud legitur apud Plautum Mil. 491, Pseud. 1120, saepius; ap. Ter. Eun. 87, Hecyr. 372, Phor. 859, Ad. 433; ap. Afran. 107 R.; Auct. ad Her. 4, 64; Cic. praecipue in epistulis (ad Att. 5, 14. 6, 8; Fam. 9, 19; bis in orationibus Verr. 6, 5, 51, Catil. 1, 19, 23); Horat. in sermonibus 1, 5, 71; Priap. 8, 3; Vitruv. 6 praef. 1. 7, 5, 4 *(statim . . . recta);* Plin. 2, 47, 46; Petron. 41. 58. 116; Apul. met. 5, 14. 6, 17. 8, 13. 9, 40.

Alternis scil. vicibus b. Hisp. 5, 6 (,hic alternis non solum mortem morti exaggerabant, sed tumulos tumulis exaequabant') saepe apud Lucretium invenitur; post apud Varronem de re r. 3, 16, 9 *alternis dormiunt;* ap. Livium in prima decade 2, 2; ap. Vitruv. 2, 8, 7. 10, 13, 6 bis *(alternis obturando foramina alternis aperiundo).* 10, 21, 4. Cf. Draeger I 51.

De in praesentia b. Afr. 3, 2. 10, 4. 12, 2. 36, 3; b. Hisp. 33, 4 disputari opus non est; sed b. Afr. 19, 4 ,uti frenato' scil. ,equo' iure Froehlichius vocat inusitatam detractionem: cui tamen potest comparari Vitruv. 6, 9, 9 *utrum latericio an caementicio* (scil. *lapide*) *an saxo quadrato velit aedificare;* id. 10, 21, 3 *fixa habuerant lateraria* (scil. *tigna) in transverso;* Faventin. 11 *latericiam* (scil. structuram) *habere;* Varro de re r. 3, 15, 1; Hor. ep. 1, 7, 33; sat. 2, 6, 117; Colum. 12, 8 *cavus* = cavus locus (cf. Neue I² 532); porro Apul. de mg. 21 *tu mihi vitio dabis . . . . quod vivo gracili lare, quod paucioris* (scil. *servos*) *ego habeo, parcius pasco, levius vestio, minus obsono?* (V. Hildebrandi adnotationem.)

b. *Numeralia sine adiectione posita.* Eius generis est b. Afr. 79, 2 genetivus passuum omissus (,XVI milia'), ut apud Ciceronem in epistulis (ad Att. 3, 4 *ut mihi ultra quadringenta milia liceret esse*) et ap. Vitruv. 8, 3, 11 *is a capite profluit circiter ter milia XL sapore dulcissimo, deinde cum pervenit ad locum, qui est ab ostio ad milia CLX* etc. 10, 14, 1 *quot milia numero itineris fecerimus.*

Alterius loci, ubi accusativus sestertios deest in numeris b. Afr. 87, 5 ,singulis centum divisit', nullum mihi quidem praesto est exemplum.

c. *De verborum transitivorum usu absoluto.* Movere pro ,movere castra' b. Afr. 7, 1; b. Hisp. 20, 1

apud Ciceronem non legitur nisi in epistulis (ad Att. 9, 1, 1), inde a Livio increbrescit (21, 32, 1. 22, 43, 5, saepius).

Praeesse absolute est positum b. Afr. 22, 1. 28, 1. 33, 3. 34, 2. 36, 1. 76, 1. 79, 2. 86, 5. 93, 1; b. Hisp. 27, 2 (ubi tamen Fleischer coniecit ‚*castellis* praeesse'), semel apud Caesarem b. civ. 3, 12, semel ap. Ciceronem.

Verbi tribuere b. Afr. 89, 4 pro ‚veniam tribuere' positi similitudinem affero ex Ciceronis epistulis ad Fam. 13, 9, 2, qui locus in codicibus sic extat: ‚volo enim te existimare me, cum universo ordini publicanorum semper libentissime *tribuerim* idque magnis eius ordinis erga me meritis favere debuerim'. Kayser post ‚tribuerim' inseruit ‚plurimum'; sed cum b. Afr. exemplo re vera ‚tribuere' absolute usurpatum esse, etsi alia sententia, declaretur neque id a leviore epistularum genere meo quidem iudicio abhorreat, non est cur Ciceronis locum corruptum esse existimemus.

Sed ne Froehlichii videar excutere collectanea (p. 62), ex eis uno tantum allato b. Afr. 3, 4 vehi pro ‚equo vehi' addo b. Afr. 73, 4 concipere, quod verbum Cicero intellegendi significatione numquam adhibuit nisi addito substantivo aut ‚animo' aut ‚mente'; contra illam rationem secuti sunt Velleius 2, 117; Celsus 7 praef. Apud auctorem b. Hisp. reperitur obscurare (3, 5 ‚quae vis tempestatis ita obscurabat') ‚Finsterniss erregen', ibid. 33, 4 insternere (‚cenam adferri quam optimam imperavit, item optimis insternendum vestimentis'), quorum duorum verborum usum nullo possum alius scriptoris exemplo confirmare; sed occupare = opprimere (b. Hisp. 31, 1 ne ab latere nostri occuparent) Plauti Pseud. 900 *dum ille dormit, volo tu prior occupes,* qui tamen saepius infinitivum addidit, ut Most. 3, 1, 39 *occupabo adire;* Rud. 1, 4, 38 *occupas praeloqui.*

Applicare ad terram scil. naves b. Hisp. 37, 3 praeterea dixerunt Iustinus 2, 4, 2. 12, 2; Ulp. Dig. 1, 16, 4 (cf. Hildebrandi ad Apul. met. 7, 7 adnot.), testes satis magni, quibus illam locutionem Ciceronis temporibus vulgaris fuisse sermonis verisimile fit. *Appellere ad locum* praebet Horatius in sermonibus (1, 5, 12 huc appelle), singulis locis Livius 37, 21 et Quintilianus Suetoniusque; sane apud Caesarem quoque uno loco b. civ. 2, 23 deest notio ‚navis', sed excusationem habet, quod in eodem enuntiato saepius

vocabulum ‚naves' perhibetur: ‚Huius adventum L. Caesar filius cum X longis *navibus* ad Clupeam praestolans, quas *naves* Uticae . . . . reficiendas huius belli causa curaverat, veritus *navium* multitudinem ex alto refugerat *adpulsaque ad proximum litus* . . Adrumetum perfugerat'.

d. *De verborum transitivorum usu intransitivo.* Convertere pro ‚reverti' (b. Afr. 9, 1 ‚Ruspinam cum reliquis copiis convertit') cum Caesar removerit, legitur apud Lucretium 4, 311

Inde retro rursum redit et convortit eodem,

ap. Sall. Iug. 101, 6; post ap. Apul. d. dg. Plat. 2, 27, translata significatione apud Ciceronem quoque Brut. 38; de fat. 7, 14. 9, 17.

Recipere pro ‚se recipere' b. Afr. 18, 2 compluries exstat in Plauti fabulis, Bacch. 2, 3, 60; Rud. 3, 6, 42; Merc. 2, 4, 30; tamen Caesarem non vituperabimus, qui scripsit b. gall. 1, 48 fin. *si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum.*

Verbi dirigere intransitive positi mihi loci alii non sunt noti quam b. Hisp. 29, 2 ‚hinc dirigens proxima planities aequabatur'; Vitruv. 9, 9, 12 *cuius cacumen dirigat ad punctorum regiones;* Apul. met. 2, 17 *cominus in adspectum, si vir es, dirige;* Tertull. adv. Marc. 1, 9 *hinc itaque constantissime dirigam;* id. de ieiun. 10; adv. nat. 2, 10; de monog. 12; de pudic. 17; adv. Marc. 4, 12. 14. 37. 5, 1; de praescr. haer. 15; sed mihi quidem videtur his aliis locis locus b. Hisp. quam clarissime illustrari, ita ut ‚dirigere' Augustea aetate in plebeio tantummodo sermone intransitivi verbi vim habuisse intellegamus.

Locutio denique b. Hisp. 32, 6 ‚eum minus belle habere' prorsus respondet ei, quam Dolabella in epistula ad Ciceronem usurpavit (Fam. 9, 9, 1 *Terentia minus belle habuit*), Cicero ipse Fam. 16, 15, 1 *te plane febri carere et belle habere;* ceterum de verbi ‚habere' usu intransitivo cf. Rebl. p. 23 et Acta p. 137.

2. De verbi detractione.

In b. Afr. Froehlichius monet saepe in accusativi cum infinitivo constructione omitti esse; semel bisve sunt 16, 3. 19, 1, bis erat 12, 2 ‚quorum parvus numerus', 26, 6 ‚nec

mirum'. B. Afr. 4, 3 ,unde, inquit, istas?' Froehlichius supplet ,fers', sed rectius Draeger I 179 ,litteras accepisti'. Adde 16, 1 ,quid tu, inquit, miles tiro?', quo loco ,vis' vel tale quid subintellegendum est, et paulo infra § 2 ,Tum miles: iam me, qui sim, intelleges', detractio est satis crebra verbi ,ait' vel ,inquit' notanda.

Ex b. Hisp. afferri debet 26, 5 (ex Pompei epistula): prout nostra felicitas scil. est, cum verbum non desit apud Caes. b. civ. 3, 61 *prout cuiusque . . . aut natura aut studium ferebat.*

Sint desideratur b. Hisp. 42, 5 ,Vos ita pacem semper odistis, ut nullo tempore legiones desitae populi Romani in hac provincia haberi', ut saepius apud Sallustium. Detractionis ratione ea quoque interpretanda sunt, quae scripsit auct. b. Hisp. 31, 9 ,In quo proelio ceciderunt milia hominum circiter XXX et si quid amplius', quibuscum conferri possunt locutiones, quae sunt *si nihil amplius* et *si nihil aliud.* De tota hac quaestione cf. Draeger I 171 sqq.

Hic *breviloquentiae* genus, cuius non ita multa nobis exempla suppeditantur, subiungere mihi liceat. Non absonum videtur eum usum, quo adverbium attributi locum obtinet, huc referre, ut auct. b. Hisp. c. 24, 6 dicit: ,Ita pridie duorum centurionum interitio'. Paulo durius auctor b. Afr. 64, 1 scripsit: ,quem Caesar in Hispania cum reliquis dimiserat et postea ad Pompeium se contulerat', scil. *qui* se contulerat. Postremo quae in b. Hisp. 8, 6 leguntur: quae oppida supra sunt scripta, cuius locutionis loco exspectamus ,de quibus oppidis supra est scriptum', ea dicta esse ex cotidiani sermonis consuetudine docent et Vitruvius, qui eadem constructione sexcentis locis usus est (2, 8, 13 *fons supra scriptus;* 3, 3, 3 *columnae disponendae quemadmodum supra scriptae sunt;* 4, 2, 1 *inventiones supra sunt scriptae;* 4, 8, 3 *reliqua uti supra scripta sunt* etc. etc.), et inscriptionum tabularumque locorum largus proventus; cf. Wilm. 95 *ea, quae supra scripta sunt, fiant;* C. I. III 168 *locis supra scriptis.* De compendiis ,S. S' (= supra scriptus) cf. Wilm. 1744. 263. 285 et indices.

C. De improprietate sermonis.

Quemadmodum confabulantes inter sese homines integrum

enuntiatum verbis detractis quasi mutilare non verentur, ita in singulis verbis, cum non suo quamque notionem verbo interpretentur, aliquid de propria eius vi detrahunt. Quem usum apud Romanos quoque floruisse fretus eis, quae ex commentariis b. Afr. et b. Hisp. ego congessi, demonstrare posse mihi videor. Quaestio autem, quoniam omnino substantiva, in quibus maximum fere continetur orationis momentum, illam notionis imminutionem rarius pati per se consentaneum est, in verborum maxime improprietate versabitur.

Unum tamen substantivum ad hanc rationem revocaverim, a quo apte commodeque hanc disputationis partem incipi puto. B. Hisp. 33, 5 legitur: ‚Ipse de tempore cenare', quo de loco Draeger I 586: ‚Auffallend b. Hisp. 33 de tempore cenavit (bei Zeiten)'. Hunc ego ita fere explanaverim. Cuilibet enim vel primis labris hunc commentarium attingenti sub oculos cadat necesse est creber vocabuli ‚temporis' usus: insequenti tempore 18, 5. 23, 1. 27, 1 et 5; eius diei insequenti tempore 14, 1. 15, 5 (quod respondet Caesariano: *postridie eius diei*); huius diei extremo tempore 16, 1; idem temporis 3, 1 et 4. 12, 3. 13, 3. 20, 4; id temporis 3, 7; eodem tempore 16, 5. 18, 3 et 6. 19, 2 et 5. 20, 2 (quibus locis adiunxerim 21, 1, etsi in codd. ‚eo tempore' scriptum est); hoc praeterito tempore 11, 3. 19, 4 (ex certa Nipperdei coniectura). 20, 3. 22, 1 et 7; praeterito noctis tempore 12, 5 (Nipperd. prol. 28); nocturno tempore 2, 2. 22, 6; matutino tempore 6, 4 (‚mane' 20, 2); primo quoque tempore 3, 2. 5, 6. 26, 7; omni tempore 3, 3; exiguo tempore 15, 3; nocturnis diurnisque temporibus 17, 3 (sec. Nipperdei coniecturam); ex eo tempore 27, 2; eo tempore 28, 4. 42, 1; mirificum et optandum tempus 29, 4; novissimo tempore 33, 5; nullo tempore 36, 1. 42, 5 (semel ‚numquam' 15, 6); ullo tempore 42, 5; hoc bello et praeterito tempore 42, 3.

Quae cum ita sint, mihi quidem a verisimilitudine abhorrere non videtur, in illa locutione neglegenter notionem generis ‚tempus' pro speciei ‚dies' esse positam, unde sequitur ‚de tempore cenare' nihil aliud esse nisi *de die cenare.* Cf. p. 62.

Atque in vulgari sermone ‚temporis' vocabuli usum multo latius patuisse quam in urbano et auctoris b. Hisp. exemplum me docet et ea res, quod, cum in linguis romanicis vocabu-

lum ,dies' exstinctum sit, eius locum obtinuerunt ea, quae profecta sunt ab locutionibus olim cum substantivo ,tempus' compositis velut frg. *jour* ex ,diurnum' scil. tempus [8]). Neque illud hoc loco praetermittendum videtur ,nunc' deesse linguis romanicis, in cuius locum circumlocutio per ,hora' facta successit; cf. frg. *encore* = hanc horam.

Denique uno mihi liceat exemplo comprobare multa, quae viri docti linguarum romanicarum propria esse docent, iam in plebeio Romanorum sermone inveniri. Quod enim supra vidimus in b. Hisp. ,numquam' semel reperiri, ,umquam' omnino non, contra bis nullo tempore, semel ullo tempore, idem in Vitruvium cadit, qui quotiens illa temporis notione opus fuit (sunt autem duo non amplius loci) spreto adverbio ,numquam' maluit scribere *nullo tempore*, qua formula nisi fallor Caesar et Cicero plane abstinuerunt. Iam in linguis romanicis duorum illorum adverbiorum nec vola nec vestigium (cf. frg. *jamais* = iam magis); in Provinciali autem quae dicitur *nulh temps* servatum esse docuit Diez II³ 473). Unde mihi concludendum esse videtur vulgus Romanum iam Ciceronis aetate antetulisse substantivorum ambages simplicibus adverbiis.

His praemonitis ad *verba* progrediar: inter quae iterum verbum ,facere' primas ut ita dicam agere ex eius natura universali, qua diversissimae res comprehenduntur, facile intellegitur; secundo loco disserendum erit de verbi ,esse' vi vicaria, tertio de aliis quibusdam verbis.

1. *Facere.* Cum Caesar b. gall. 3, 22. 7, 81; b. civ. 3, 92, saepius, Hirtius 8, 29, id. Al. 52, Cicero, alii dixerint ,clamorem tollere' [9]), auctori b. Afr. 80, 6 et auctori b. Hisp. 3, 8. 14, 4. 25, 8. 30, 6 placuit clamorem facere, quibuscum conspirat Plautus Bacch. 4, 8, 33

ut ne clamorem hic facias neu convicium.

Convicium facere praeterea legitur ap. Terent. Ad. 180; Cic. Fam. 10, 16, 1; Senec. controv. X 30 med. p. 301,

---

8) Hoc ita quoque possis explicare, ut ,dies' sive propter brevitatem sive propter similitudinem cum ,dei' vocabulo interiisse statuas.

9) Apud Ciceronem Brut. 95, 326 ,clamorem facere' intellegendum est ,clamorem efficere, excitare'.

26 Burs. (cf. Naev. 114 R. *crepitum facere;* Caec. 21 R.; Vitruv. 1, 1, 8. 5, 6, 1 *sonitum facere*).

Colloquia fieri in b. Afr. 51, 4 est ut in Planci epistula ad Ciceronem (Fam. 10, 23, 5 *colloquia facta*), cum Caesaris in usu fuerit *colloquium habere* b. civ. 3, 19 vel *in colloquium venire* b. gall. 1, 35. 43; Hirt. 8, 23.

Pro Caesariano *fossas ducere* b. gall. 7, 72, *fossas perducere* ibid. 1, 8, *f. instituere* b. civ. 3, 46 usurpaverunt fossas facere auctor b. Afr. 35, 5 (fossae factae), Vitruvius 1, 5, 6 *fossae faciendae*, 2, 8, 10 *fossae factae*, 10, 22, 12 *fossae fieri*, Palladius 6, 3 *fossae fiant.* — Pariter cum *puteum fodere* legatur in Caesaris et Hirtii commentariis (b. civ. 3, 49; b. Al. 8. 9), puteum facere est ap. script. b. Afr. 51, 6 (putei fieri) et ap. Vitruv. 8, 7, 3 *putei sint facti,* qui idem nonnumquam ‚puteum fodere' posuit.

Huc pertinet figura etiam illa etymologica facinus facere b. Hisp. 16, 5, de qua supra p. 63 disputavi; nam ex Caesaris consuetudine est *facinus admittere* b. gall. 6, 13. 7, 38. 42.

Scelus (nefandum) facere b. Hisp. 16, 5 certe Caesari probatum non est, qui, ut fere Cicero, b. civ. 1, 74 *scelus concipere* maluit, sed concessit Cato 40, 7 Iord.: *scelera nefaria fie* . . . . (scil. fiebant), id. 42, 7 ‚*omnia fecit* . . . . . *eiusmodi scelera nefaria*', Cicero pr. Rosc. Am. 25, de dom. 81, de or. 1, 51, 220 *(scelus* eos nefarium *facere).* — Neque aliter insidias facere b. Afr. 35, 5 (insidiae factae) desideratur apud Caesarem, qui praeferebat *insidias collocare* b. gall. 5, 32; b. civ. 3, 37; *in insidiis collocare* b. gall. 3, 20 (Hirtius b. gall. 8, 12. 48 *insidias disponere*); sed invenitur ap. Terent. Eun. 532; Phor. 274; Lucil. inc. 21 M.; Pseudosall. inv. in Tull. 4, 7; Petron. 3. Cicero, qui ad Qu. Fr. 2, 3, 4 scripserit *insidias vitae facere,* pr. Sestio 18, 41 praeposuit *insidias vitae ponere;* cum illud praeterea in oratione pro Milone habita 23 *(uter utri insidias fecerit)* legatur, Quintilianus denique tribus ille quidem locis 3, 11, 15. 4, 2, 25. 6, 3, 49, sed in quibus omnibus de Ciceronis oratione Miloniana disputat, illud admiserit, inde ‚insidias facere' artis locutionem fuisse iurisconsultorum, quam Cicero illo loco evitare non potuerit, colligi posse suspicor.

Imprimis apud scriptores rusticos ‚facere' in multorum

verborum locum receptum est, velut pro ,eicere, eniti producere' usurpatum deprendimus ap. Varr. 3, 5, 9 *faciunt volucres pullos;* ap. Colum. 6, 37 *facit asinus subolem;* ap. Varr. 2, 6 *qui facere vult bonum gregem asinorum;* ibid. 1, 7 *facere frumentum* (de hominibus); Cat. 52 *vitem facere;* ibid. 65 *oleam facere.* Huic generi ille quoque locus assignandus est rhetoris Senecae, de quo diiudicare se non posse Reblingius p. 27 fatetur: praef. 3, 9 *alii ad aprum, alii ad cervum canes faciunt;* ubi ,faciunt' pro verbo ,instituendi', quod proprium hac in re est, positum esse arbitror.

Quo denique posteriores scriptores vel potius homines plebei progressi sint, cognoscitur ex Apuleio, qui met. 5, 2 scripsit *intra limen se facit* (cf. Draeger I 123) et Tertulliano, qui etiam pronomine omisso ,facere' pro ,vadere, proficisci' usus est: de pall. 3 *quâ ad illum ex Libya Hammon facit.* Qua in re cui non in mentem venit etiam in nostra patria Saxones verbum ,machen' in tam latos extendere fines?

2. *Esse.* Hoc loco ex b. Afr. mihi videtur commemoranda esse locutio: 70, 1 ,cum ad solis occasum esset', in qua ,esse' positum est vice verbi vergendi vel veniendi; melius quidem Livius ,*sol iam prope ad occasum erat*'. Similia tamen leguntur apud Plautum (Bacch. 1, 2, 49 *ecquid in mentem est tibi* = venit; cf. Amph. 2, 2, 59); ap. Mummium (1 R. *ad spectacula est videre* = abiit); ap. Ciceronem in epistulis (ad Att. 15, 4, 2 *Ut certior fieret quo die in Tusculanum essem futurus* = essem venturus); ap. Petronium (15 *in controversiam esse* = venisse); ap. Suetonium (Aug. 16 *nec prius militibus in conspectum fuisse* = venisse). — Deinde auctorem b. Hisp., cum scriberet 2, 3 ,equitatus qui ex provincia fuisset'; 7, 4 ,quarta fuit Afraniana ex Africa' (cf. Fleischer p. 5), minus fuisse proprietatis studiosum censuerim coll. Ter. Eun. 471

Ex Aethiopia est usque haec,

id quod plane respondet nostratium plebeiae locutioni: ,sie ist bis von Aethiopien her'.

3. *Addere, se conferre.* Animum addere b. Afr. 48, 5. 52, 3. 75, 4. 87, 4 usurpaverunt Plautus Amph. 1, 1, 94; Terentius Heaut. 542; Cicero in epist. ad Att. 7, 2, 4; Tac. ann. 4, 51; hist. 4, 33; contra Caesar b. gall. 7, 70 *animum augere.*

Quae verba mire esse dicta nuper Fleischer p. 17 iudicavit: b. Hisp. 12, 6 ‚Iam repulsi adversarii bene multis vulneribus affecti in oppidum se contulerunt', ea illustrari possunt exemplis his: Eun. ap. Non. 518, 20 *derepente contulit sese in pedes;* Plaut. Bacch. 3, 1, 7 *Quae ut aspexi, me continuo contuli protinam in pedes;* Terent. Phorm. 190 *conicere se in pedes.*

D. De supralatione [10]).

Ut vulgus, quod rerum certum tenendi modum omnino est impotens, improprietatem verborum non evitavit, ita in contrariam etiam partem excessit, cum res, ut quam proxime sub oculos subiceret, multo gravioribus verbis, quam opus erat, interdum crassis depingeret. Haec autem disputationis pars, quae est de supralatione, commode fortasse capiet initium ab eo vocabulo, in quo ipso illud efferendi orationem studium parum angustis terminis circumscriptum neque artis regula ac pulchritudinis iudicio coercitum expressa imagine repraesentatur, ab adiectivo scilicet *infinitus.*

Cuius usus si exempla proferam ex b. Afr. 1, 4 ‚equitatus infinitus'; 59, 5; b. Hisp. 4, 3 ‚multitudo infinita', dicet fortasse aliquis me his nihil probaturum, quia apud Caesarem ipsum *multitudo infinita*, *magnitudo infinita, labor infinitus* inveniatur. Sed multitudinem infinitam b. gall. 5, 12 Caesar ad incolarum refert Britanniae numerum, quam terram cum obiter attigisset neque in quam latos fines se extenderet ullo modo explorasset, sed fortasse, qui incolarum numerus esset, solis ex captivis cognovisset, quorum quam maximum hunc fingere, ne longius Caesar procederet, multum interfuisse consentaneum est; denique cum ipsi, cur ex Britannia rediisset, causae essent afferendae — haec omnia si considerabimus, illo certe loco ‚infinitam multitudinem' facile excusari posse concedemus. Neque multo distat, quae b. gall. 6, 10 invenitur ‚infinita magnitudo' silvae Bacenis; nam id quoque sibi inexploratum ab aliis cognoverat, neque a Suebis ipsis, quorum in finibus erat illa silva, sed ab Ubiis. Ultimo

10) *supralatio* non *superlatio* in optimis Quintiliani codicibus 9, 1, 29. 9, 2, 3 legitur.

loco b. gall. 6, 43 cum ‚infinitus‘ vocatur ‚labor‘, id fit suo iure, quoniam eo paene naturam victam esse additur.

Contra auctor b. Afr. idem adiectivum usurpat de exercitu Scipionis, cuius magnitudo Caesari, etsi non plane explorata erat, tamen ita non erat ignota ut posset infinita dici, praesertim cum iuxta ‚infinitum equitatum‘ de reliquis copiis certus numerus commemoretur. Auctor vero b. Hisp. infinitam multitudinem appellat eam, quam ipse modo ‚bene magnam‘ fuisse narraverat. Iam vero ne ulla restet dubitatio, vide, quam abusus sit hoc vocabulo Vitruvius: 1, 1, 6 *infinitum numerum exercitus Persarum;* 2, 2, 1 *sed sempiterno aevo perpetuo infinitam in se retinent soliditatem;* 2, 9, 8 *infinitam habet aeternitatem;* 7 praef. 4 *infinito zelo;* 8, 5, 27 *magna vigilantia et infinito studio;* 2, 8, 17 *in civium infinita frequentia innumerabiles habitationes;* 6, 1, 10. 9, 3, 1 *infinita sollertia;* 7 praef. 1. 10. 6 praef. 4 *infinitae sunt agendae gratiae;* 6, 11, 5 *infinita vitia;* 7 praef. 7 *infinita volumina;* 2, 7, 3 *infinitas virtutes;* 3, 1, 2 *magnas et infinitas laudes;* 8 praef. 3 *infinitas necessitates;* 9 praef. 1. 10, 11, 4 *infinitas utilitates;* 10 praef. 2 *ad infinitas sumptuum profusiones;* 2, 2, 2 *in infinitis generibus;* 2, 8, 10 *infinitis vectigalibus;* 5, 3, 6 *circulorum rotundationibus infinitis.* — Ex quibus facile intellegitur aliis locis iisque paucioribus hoc vocabulum propriam vim retinuisse, longe pluribus amisisse, ut vel ad earum rerum magnitudinem significandam adhibeatur, quas numeris finire non liceat. Similem fortunam expertum est vocabulum ‚immensus‘.

Verborum eis potissimum, quibus simplex inest movendi notio, eundi et veniendi, validiora substituerunt homines plebei currendi, saliendi, similia, plane ut nostrates quoque in sermocinando, etsi minime citatior quidam gradus exprimendus est, ‚laufen‘ dicere solent.

Accurrere in b. Afr. quidem 74, 3 recte positum esse id ipsum docet, quod ‚celeriter‘ adiunctum est; idem statui potest de altero loco b. Hisp. 37, 3 ‚classe accurrit‘, quamquam nonnullis Ciceronis epistularum locis (ad Att. 2, 1, 4. 13, 48, 1. 15, 3, 1) adducor, ut credam illud ex sermone familiari petitum esse.

Decurrere de navibus dictum b. Afr. 3, 5 (‚nullum portum . . . quo classes decurrerent‘) apud Caesarem certe

non legitur, qui potius b. gall. 4, 36, ut Hirtius Al. 9, scripsit *portum capere;* sed a Cicerone in epistulis scriptum esse video Fam. 16, 14, 3 *ego puto te bellissime, si recte erit, cum quaestore Mescinio decursurum* (scil. navi). Decursus vero vocabulum cum ad planitiem transtulerit auctor b. Hisp. 29, 2, ultro hoc paulo pinguius dictum esse intellegimus. Cf. Vitruv. 8, 7, 6. 7. 8.

Porro recurrere (b. Hisp. 40 extr. ‚Caesar a Gadibus rursus ad Hispalim recurrit') pro ‚redire' cum vulgare esse olim Nipperdeius iudicaverit prol. 26, restat ut addam locum similem ex Hirtii ad Ciceronem epistula, ad Att. 15, 6, 2 *noli autem me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram.*

Eam rem, quam verbo *circumire* et Caesar (b. gall. 5, 2 *hiberna circumire;* b. civ. 1, 76 *manipulos c.;* 2, 28 *aciem c.;* ibid. 2, 41 *ordines c.)* et ipse auctor b. Afr. (82, 1 ‚in exercitu circumeundo') designari voluit, expressit scriptor b. Afr. 81, 1 verbo concursare cum praepositione circum coniuncto: ‚Caesar pedibus circum milites concursans' (Caesar zu Fuss unter den Soldaten ‚herumlaufend'). Quod sine dubio ad plebeium dicendi genus accedit.

Deinde prosilire non ad singulos propugnatores, sed ad totum exercitum referre (b. Afr. 58, 2 ‚existimans ultro adversarios, cum tam magnis copiis essent praediti promptiusque prosiluissent', etc.) hominis videtur esse de plebe; similiter tamen Florus 3, 5, 25 *transilire per Thraciam, Macedoniam et Graeciam.*

Pro ‚transfugere' vel ‚transcurrere' posuit auct. b. Hisp. 19, 3 transilire (‚mater familias de muro se deiecit, ad nos transiliit'), quocum loco velim conferas Plaut. Truc. 2, 1, 38

Illac per hortum transilivit ad nos

et Pompon. 13 Ribb.

Exilui de nocte ad molam fullonis festinatim.

Composita autem verbi saliendi posteriore aetate multum valuisse ecclesiasticorum scripta testantur, veluti ut paucis defungar Cyprianus dixit *prosilire ad haeresin* p. 423, 11 H.; *prosilire ad sanguinem* 411, 11; *pr. in laudes* 422, 14; Commodianus carm. apol. 283 *in lege prosilire*; Augustin. de civ. Dei 1, 3 *in eum maledictis hostilibus prosilirent;* 5, 22 *in nostram religionem protervissime insiliunt.*

Cum sermoni Romanorum cotidiano in universum larga in promptu erat locutionum copia, quibus eundi et abeundi notiones circumscribi poterant (cf. Rebl. p. 17; Lorenz. ad Plaut. Pseud. 535), tum in commentariis b. Afr. et b. Hisp. talia non desiderantur. Nam quod in b. Afr. 93, 1 legitur ‚seque clam cum paucis barbaris pecunia onustus subducit' (nostratium est ‚er zog sich'), idem iam Plauti erat (Asin. 912 *se subducere* et simil. Mil. 343 *ne tibi clam se subterducat;* cf. Men. 446; Asin. 278). Postea se offert ap. Terent. Eun. 795 *clam te subduxti mihi;* ap. Caton. 19, 14 Iord.; ap. Cic. in epistul. Qu. Fr. 3, 4, 1; ap. Petron. 6 *subduxi me opportune,* 9 *subduxisti te a praeceptoris colloquio;* ap. Quintil. 8 praef. 21.

Atque hoc b. Afr. exemplo nisus nemo assentietur Kochio, qui b. Hisp. 18, 5 pro ‚noctu ex adversariorum conspectu se deducerent ad mare versum' legendum esse ‚se reciperent' temere censuit: praesertim cum et *se educere* Ter. Hec. 364 et apud ipsum Ciceronem Fam. 10, 32, 1 *se deducere* reperiatur, verba denique cum praepositione ‚de' composita auctorem b. Hisp. in deliciis habere supra demonstratum sit.

De se reportare b. Hisp. 40, 2 iam satis disputatum est a Reblingio p. 17 et Woelfflino Philol. 34, 151.

Sed ut ad verba ‚agendi' transeam, ‚vulgi sermonem redolere crebrum usum verbi paulo pinguioris, quod est, iugulare' (b. Hisp. 15, 6. 18, 4 et 5. 19, 3. 20, 3. 22, 1 et 3 et 4. 27, 6. 33, 5. 35, 4), iam a Nipperdeio est animadversum prol. 25. Quam acceptum ‚iugulare' in cotidianae vitae consuetudine fuerit, inde potissimum cognoscitur, quod non raro abit in proverbia, velut ap. Terent. Ad. 958 *suo sibi gladio hunc iugulo;* ap. Cic. ad Att. 1, 16 *plumbeo gladio iugulari.* Cuius verbi in comparationem cum Reblingius p. 18 vocaverit *decollare*, mihi quidem videor certo exemplo posse demonstrare ‚decollare' eadem significatione usurpatum esse qua ‚occidere' ex versibus quibusdam triumphalibus, quorum genus a militibus recitatorum multa in se habere vulgaria constat. Extat enim apud Vopisc. Aurel. VI haec:

Mille, mille, mille, mille, mille decollavimus,
Unus homo mille, mille, mille decollavimus,
Mille, mille, mille, mille vivat, qui mille occidit,
Tantum vini nemo habet quantum fudit sanguinis.

Cf. ibid. VII:

Mille Sarmatas, mille Francos semel et semel occidimus,
Mille, mille, mille, mille, mille Persas quaerimus.

Eodem referendum esse caedem administrare b. Hisp. 36, 4. 39, 2 item Nipperdeium non fugit (prol. 26): quibus locutionibus utique licet addere in caede versari (b. Hisp. 24, 5 ‚non parum magna in caede versabantur'), qua voluptas quaedam, quam ex caedendo Caesariani perceperunt, haud inepte describitur.

Distineri possunt homines, si verum quaeris, compluribus tantummodo rebus, ita ut recte Caes. b. gall. 7, 8 *tantis munitionibus distineri*, Cic. pr. Rosc. Am. 8, 22 *tot tantisque negotiis distentus*, Tac. ann. 16, 8 *Neronem circa summa scelera distentum*, auctor denique b. Afr. 55, 2 ‚triplici bello distentus' dixerint; sed b. Hisp. scriptor ad unam rem attinere voluit eademque usus est sententia, qua ‚occupari': 12, 5. 23, 2. 27, 1 ‚cum nostri in opere distenti essent' (Caesar b. gall. 2, 19 qui in opere occupati erant; 5, 15 occupatis in munitione castrorum; 7, 22 occupatos in opere): qua in re etiam longius Vitruvius processit, qui 5 praef. 3 *distentam occupationibus civitatem* posuit. Ex Apuleio vero praefixum ‚dis' propria vi plane amissa augere tantum ‚tenendi' notionem apparet, apud quem met. 6, 30 *puella vinculis distinetur.*

Gratia florebat plebis verbum capere; occasionem capere quidem non legi nisi b. Afr. 56, 4, b. Hisp. 26, 3 et apud Plautum Pseud. (1005 *si occasionem capsimus*); *tempus capere adeundi* ap. Cic. Fam. 11, 16; pro commeatum capere b. Hisp. 26, 6 apud Caesarem habemus b. gall. 3, 2 ‚commeatum petere'; Cicero scripsit non ut auctor b. Hisp. 38, 6 praesidium sibi capere, sed ‚quaerere, petere, parare, comparare'; *exemplum capere* offert Plaut. Most. 3, 2, 75, Ter. Andr. 651, semel Cic. Lael. 10, 33, Vitruv. 8, 2, 3, cum Cicero plerumque ‚petere, repetere, sumere' adhibuerit. Pro *inimicitias capere* Ter. Phor. 370 (*inimicos capere* Andr. 695) Cicero ‚inimicitias suscipere', pro *laborem capere* ap. Plaut., Terent., Cic. Rosc. Com. 49 (Acta p. 142) Caesar ‚laborem suscipere' scripsit etc. etc.

Restat unum simile supralationi genus — quod quidem ad huius dissertationis propositum attinet —, de quo disputan-

dum est, *translationis.* In quo cum omnes, ut res describendas ad naturam vitaeque usum quam maxime accommodarent, studebant, tum plebs in ea re hanc rationem secuta est, ut res, quoad fieri potuit, ad hominem atque humani corporis partes, quibus nihil propius sub adspectum cadit, revocaret. Haec autem ratio quam multum in usu substantivi ‚manus' valuisset, Reblingius p. 18 enarravit; ego et, quod ex b. Afr. illuc spectat, breviter monebo et, quae praeterea vel commentarii, de quibus quaestio est, vel eiusmodi alia scripta praebent, paucis exponam. His tamen substantivis praemittere mihi liceat verbum quoddam cui, cum alias personale obiectum subsit, ab auctore b. Hisp. res obicitur, quae hoc modo ad personae vim quasi evehatur: dico patrocinari. Hoc enim vocabulum omnino primo invenitur apud Terentium Phorm. 939

Vos me indotatis modo
Patrocinari fortasse arbitramini;
Etiam dotatis soleo,

secundo b. Hisp. 29, 8: ‚adversarii patrocinari loco iniquo non desinunt', deinde ap. Quintil. 2, 4, 23 *homini patrocinari, non crimini,* Plin. nat. hist. 14, 21, 28 *sibi patrocinari,* Ulp. Dig. 2, 11, 2; saepe apud ecclesiasticos: Tertull. apol. 18, de testim. anim. 1, adv. Marc. 5, 7, de carn. Chr. 20, de resurr. carn. 11, 38, adv. Prax. 14. Itaque cum ex Ciceroniana et Augustea aetate nullum exemplum habeamus nisi auctoris b. Hisp., ex aetate antecedenti solius Terenti, non dubito quin ‚patrocinari' primum iurisconsultorum vocabulum fuerit, deinde a plebe saepius adhibitum et ad alias quoque res fuerit translatum.

Iam ad proposita progrediamur. 1. Manus. Locutionem sub manum summittere b. Afr. 36, 1 pro simplici ‚summittere' iam Nipperdeius prol. 26 tribuit vulgi consuetudini: quam sententiam Rebl. p. 18 probavit aliis exemplis, in quibus ad ‚manus' res refertur, propositis. Velut admodum similiter Plautus Mil. 866. 1133, Pers. 450 *succedit sub manus negotium* dixit pro ‚succedere' vel ‚bene, prospere evenire'; comparatur etiam Seneca (epist. 71), qui *sub manu, quod aiunt, nascatur consilium* scribit. Quod ipsam translationem attinet, hoc unum moneo non solum a poëtis arborum ramos ‚manus'

vocari, verum etiam a rei rusticae scriptoribus, ut a Pallad. Ins. 60 *manus fraxineae.*

2. Brachium. Id ab auctoribus b. Afr. (38, 3. 49, 1. 51, 2. 56, 1) et b. Hisp. (5, 3. 6, 3. 13, 1. 23, 1. 24, 1. 40, 1) videmus in munitionum quoddam genus translatum esse, castrensi ut equidem opinor sermone. Nam apud Caesarem illud quidem vocabulum deest, sed non notio: quae res singulis b. Hisp. et Caesaris locis collatis cerni potest. Cum enim Caes. b. civ. 3, 66, 6 scripserit: *Item ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen perduxerat, quo liberius a periculo aquarentur,* et auct. b. Hisp. 5, 3: ‚Caesar, ut eum ab oppido commeatuque excluderet, brachium ad pontem ducere coepit', apparet primum in utroque loco idem munitionis genus intellegendum esse, vallum, quo quis a procedendo prohibetur, deinde Caesarem vocabulum ‚brachium' evitasse. Ac re vera ante auctores b. Afr. et Hisp. solus Hirtius semel b. Al. 30, 3 hoc usus est, inde a Livio increbrescit: creberrimo autem in b. Afr. et b. Hisp. usu luculenter demonstratur, Livium quoque hac in re gregariorum militum usum secutum esse. Neque erat novum ‚brachium' transferre: quippe cum iam Cato de re r. 95 vitium pampinas dixisset brachia *(vitem circum caput et sub brachia ungito),* quem ceteri rei rusticae scriptores imitati sunt (cf. Verg. Georg. 2, 368; Colum. 4, 24 saepius; Pallad. Febr. 9, 6; Mai. 2, 1). Denique locutiones, quae sunt *levi brachio* Cic. Att. 4, 16, 6 (17, 3 ed. Wesbg.); *molli brachio* ibid. 2, 1, 6 testimonio sunt in cotidiano sermone ‚brachium' multo frequentius translatum esse quam ex scriptoribus possit divinari.

3. Supercilium. Hoc quoque translata ‚collis' significatione primo in b. Afr. 58, 1 (‚supercilium quoddam excelsum nacti') usurpatur: sequitur Verg. Georg. 1, 108, Livius 27, 18, 10. 34, 29, 11, Vitruvius 5, 7, 5 *itinerum supercilia,* qui idem columnarum quandam partem ita vocat: 4, 6, 2. 3, 5, 3. Apud Wilm. ex. 873 (a. 19 p. Chr.) legimus: *e regione ad supercilium ultimi lacus.* Ita ne hoc quidem a vulgari esse seiungendum dicendi genere probabile est.

Quibus monitis cum iam nihil ex commentariis b. Afr. et b. Hisp., quod huc pertineat, colligi possit, merito disputandi iam mihi finis esset faciendus, nisi luberet ad ultimum inquirere, in quantum in cotidiano sermone etiam ceterae

corporis humani partes translatae sint, paucisque id verbis exponere.

Oculum appellabat Cato, Varro, Columella eam radicis partem, cui proprium est bulbi nomen, id quod optime cognoscitur coll. Cato de re r. 6 *oculos arundinis pedes ternos alium sub alium serito*, et Plin. n. h. 17, 20, 33 *Seritur arundo bulbo radicis, quem alii ,oculum' vocant.*

Aures vomeris partes nominantur a Vergilio Georg. 1, 172, et Palladius 1, 43 aratra commemorat *aurita.*

Nares Vitruvius tribuit pro ,foraminibus' fistulis 7, 4, 1 bis. 2. 5. 7, 10, 2. 8, 7, 12. 13. 10, 11, 4. 12, 1. 3. 13, 3. 4. 22, 11; idem Vopiscus Prob. 21; Pallad. 9, 9.

Vocabulum per se vulgare *buccula* translata significatione legitur ap. Vitruvium 10, 15, 3 *regularum, quas nonnulli bucculas appellant;* cf. 10, 6, 11 *bucculis stagneis capita religare.*

Cervicem fistularum rursus Vitruvius primus nobis offert 10, 13; amphorae et cucumae cervicem Petronius 34 136; vitis Columella 4, 7; *collum* lagenae reperitur ap. Phaedr. 1, 26, 10, saepius apud Plinium.

Arboribus, quas manus et brachia habere vidimus, *humeri* quoque sunt secundum Plin. nat. hist. 17, 14, 24 *ab humeris arborum*, et Colum. Arb. 20, denique *crura* sec. Col. Arb. 16 *ab ipso arboris crure*, id. 3, 10, 18. 4, 24. Pallad. 1, 35 *crura vitium.*

Scapulae, quo cotidiani sermonis vocabulo Vitruvius solo usus est 9, 6, 5. 9, 7, 1 (Petron. 64), ille ad machinae cuiusdam partes refert 10, 2, 3; Tertullianus de pall. 2 ad montes: *,scapulae montium'* (cf. frg. *,épaule d'un bastion'*, quo modo eam castelli partem vocant, ubi frons et latus munitionis conveniunt).

Ventrem ad aquaeductus transfert Vitruvius 8, 7, 5. 8, ad lagenam Iuven. 12, 60, ad parietem Alfen. Dig. 8, 5, 17.

Femina vocat Vitruvius 4, 3, 5 triglyphorum partes non exsculptas, quae inter canaliculos intercedunt.

,*Pedem* montium', quem pro Romanorum ,radice montis' linguae romanicae probaverunt, in literis latinis non deprendimus ante Ammianum Marcellinum 14, 8. Valde memorabilis est Solini usus, qui vocabulo pedis eam subicit vim,

quae inest vocabulis ‚terra, fines': 3, 2, 27 *Omnis Africa a Zeugitano pede incipit (πέδον?).*

Cato Censorius, ut in hoc terminetur disputatio, secundum Gell. 3, 71 ad editum locum asperumque describendum vocabulo usus est *verruca*, idque non cum contemptu quodam, sed cum gravitate loquens iteransque idem paulo infra. Quintilianus 8, 3, 48, qui vituperat talem translationem, incerti prisci scriptoris profert exemplum; sed in plebis sermone inde a Catone illam vocem retentam fuisse Arnobii, Catonis certe non imitatoris, opinor loco demonstratur, apud quem adv. gent. 2, 49 et 5, 3 legitur: *in verrucula collis unius.*

Addenda et corrigenda.

p. 1 praef. Cum tota fere iam typis expressa commentatio esset, in manus venit libellus, quem Ios. Degenhartius ,de auctoris b. Hisp. elocutione et fide historica' (Wirceburgi 1877 diss. inaug.) conscriptum his ipsis diebus promulgavit. Cuius cum pars prior (pgg. 1—43) quam proxime ad eam rem, quam his schedis ego tractavi, spectet, fieri non potest, quin de multis rebus in utroque libello disputata sint eadem: quamquam item sunt haud pauca, de quibus discrimen inter utrumque intercedere concedas. Neque tamen ea, quae quis iure fortasse in Degenhartii dissertatione requirat, iam erunt proferenda, sed et ex eis, quae, cum apud illum inveniantur, me in hac commentatione omisisse animadverti, et ex eis, de quibus ille mecum dissentit, brevissime adnotanda potissima:

p. 41 ad II A. 1 a. Quemadmodum adiectivis substantivi loco auctor b. Hisp. usus sit, ita substantiva eum ad adiectivorum rationem redegisse, velut transfuga 18, 5. 22, 7, tiro 26, 6. 28, 3, Dgh. p. 25 commemorat.

p. 49, 4 sq. Pronominum reflexivi et demonstrativi inter se commutatorum plura exempla collegit Dgh. p. 26 sq.

p. 64, 30. Dgh. p. 18 in eis, quae leguntur b. Hisp. 9, 4 ,maioribus castris Caesari nuntius esset allatus', verba ,maioribus castris' non ,in' praepositione suppleta pro *ablativo*, sed pro *dativo* esse ducenda atque eorum locorum similitudine, qui sunt e. c. 16, 4 *oppido reprimere*, 40, 1 *castello se recipere*, intellegenda censuit.

p. 64, 34. Exemplo quod in adnotatione ad p. 64, 30 commemoravi nisus Degenhartius in loco quoque b. Hisp. 18, 3 ,neque licere castris Cn Pompei nuntiare neque dicere perisse quemquam' verbum ,castris' interpretatus est ,in castra Cn. Pompei'. Qua tamen in re et eos scriptores, qui illam constructionem admiserunt, dativo constanter, non genetivo personae usos esse et ad verba quae sunt ,neque dicere' rectius intellegenda ne hac quidem interpretatione quidquam adferri emolumenti non possum non monere.

p. 80, 3. Adde b. Hisp. 36, 2 ‚Quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent et moenia delerent, ita consilio habito noctu patitur Lusitanos eruptionem facere' (Dgh. p. 9).

p. 91 extr. Maiorem detractionis verbi ‚esse' exemplorum copiam congessit Dgh. p. 11.

p. 92, 19. Item de breviloquentiae genere copiosius Dgh. p. 14 sq. disputavit: quo loco hic primus indagasse videtur, ‚constructionem ad synesin', quam vocant, quae a Cicerone, Caesare rarissime usurpatur, frequentius primum apud auctorem b. Hisp. reperiri, unde e cotidiano illam sermone omnino sumptam esse clarius cognoscitur.

p. 7, 2 sq. Navicula vocabulum illud quidem optimorum scriptorum est, sed quod legitur in b. Afr. 23, 1 ‚cum naviculis cuiusquemodi generis XXX', quoniam classem *triginta* navium non parvis totam constitisse navibus et per se verisimile est et ipsis additis verbis *cuiusquemodi generis* id evincitur, hoc quoque propriam deminutivi vim amisisse videtur.

p. 9, 1 pro Acta lege *Acta Philol. Erlang. 1877.*

p. 9, 3 exceptare est non Dinteri, sed Kochii coniectura in Mus. Rhen. XVII p. 479 proposita.

p. 17, 17. Adde post *contremulus* . . . sat. frg. 400.

p. 20, 22 pro ‚*indicandum*' lege *iudicandum.*

p. 21, 27. Post voc. *perinsolens* semicolon delendum est.

p. 28, 6. Quae de significatione substantivi ‚latro' disserui, haud scio an etiam magis probentur, si in comparationem vocaverimus notissimum illum Romanorum ‚*ludum latrunculorum*'. In quo cum calculi, quibus ii, qui ludebant, utebantur, appellati sint aut latrones testibus Ovidio A. A. 3, 357

cautaque non stulte latronum proelia ludat;
unus enim gemino calculus hoste perit.

et Martial. 7, 72

Mandris et vitreo latrone clausis,

aut milites sec. paneg. inc. ad Calp. Pis. v. 182

vitreo peraguntur milite bella

ibid. 205

interea sectis quamvis acerrima surgant
proelia militibus

ibid. 207

aut etiam pauco spoliata milite vincis:

documentum hoc est maximum in cotidianae vitae usu, cuius quidem propria est ludendi consuetudo, priscam verbi latronis notionem per omnes aetates esse servatam. (Hac occasione oblata moneo, quam praeclare coll. Pomp. Dig. 50, 16, 118: ‚hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus;

ceteri *latrones* aut praedones sunt' cum Ulp. Dig. 49, 15, 24: ‚hostes sunt quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano; ceteri *latrunculi* vel praedones appellantur' in voc. ‚latrunculus' deminuendi vim postea plane extinctam esse cognoscatur.)

p. 28, 21 pro p. 379 lege p. 13.

p. 31, 19 pro *pisciculi* lege *pisciunculi*.

p. 34, 21 pro Pilol. lege Philol.

p. 40, 28 pro Lupus lege Lupus, Sprachgebrauch d. Cornel. Nepos. Berlin 1876.

p. 42, 8. Loricatos intellegendos esse eos, qui plerumque *milites gravis armaturae* vocantur, ideo verisimile mihi quidem esse videtur, quod, cum ‚levis armatura' in commentario de b. Hisp. saepe legatur, locutio ‚gravis armatura' prorsus deest.

p. 42, 33 pro p. 370 lege p. 4.

p. 55 sq. Sero de hoc b. Hisp. loco eandem iam in Mus. Rhen. XVII p. 479 coniecturam a Kochio prolatam esse cognovi.

p. 77, 12 Plaut. Asin. 1, 1, 37] ‚quod' pro accusativo cum infinitivo positum esse interpretantur Ussingius (Plaut. Com. vol. I. Amphitruo et Asinaria. Hauniae 1875) in adnotatione ad hunc locum p. 356 sq. et Draeger II 220; sed Brixius ad Plaut. Trin.[2] 242, cui Lorenzius in Bursiani Annalibus I p. 375 adn. 16 assentitur, aliis locis propositis verbis ‚quod amet' ex usu Plautino circumscribi substantivum ‚amica' contendit. Huius sententiam si probaverimus, illum pro accus. c. inf. ponendi ‚quod' usum ortum esse in sermone plebeio post aetatem Plautinam statuendum erit: quem iam in litteris apud auctorem b. Hisp. deprendimus primum.

p. 82, 7. Adde: quamquam Kochius in Mus. Rhen. XVII 477 corrigendum esse ‚caveat' censuit.

p. 93, 31. Si recte se habent, quae Kochius in Mus. Rhen. XVII p. 479 disputavit, scribendum esse b. Hisp. 15, 6 pro ‚sicuti apud barbaros: quod post hominum memoriam numquam est factum' — sicuti ne apud barbaros quidem post hominum memoriam umquam factum est', ne uno quidem loco adv. ‚numquam' in b. Hisp. reperitur.